
Emblems



LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY
OF ILLINOIS
EMBLEMS
x 831 M 94
Os Lf
1620
cop. 2

NEBVLO NEBVLONVM;

Hoc eſt,

IOCOSERIA MODERNÆ NEQVITIÆ CENSVRA;

QVA HOMINVM SCELERA-
*torum fraudes, Doli ac ver-
ſutiæ æri aëriq; expo-
nuntur publice:*

CARMINE IAMBICO DIME-
tro adornata à
IOANNE FLITNERO, *Franco,
Poëta Laureato.*

FRANCOFVRTI
Apud Iacobū de Zetter.
Annô M.DC XX.

Flitner
178,981

CONSVLTISSIMO, AMPLISSIMIS
& Spectatiſſimis viris,

D. DOMINICO D. JOANNI-JACOBO D. JOANNI	PORSIIS	U. J. D. Reip. FRANC. ciuibus primar.

TRIBVS GERMANIS FRATRIBVS,
Mæcenatibus colendis
D. D. D.

SCIO, VIRI AMPLISSIMI, *miraturos vos meam in dicando hoc A. V. Poemate audaciam. Scio, inquam. Diu hoc mihi præmeditatum eſt. Ab vna etenim parte abſurdam (vt prima fronte videbitur) tituli nouitatem vobiſcum penſitabitis: ab altera materiam ipſam, inibi tractatam, viliorem, quam quæ A. V. conueniat, reputabitis. Atque, vt verum quidem fatear, poterat me inuſitata libelli huius effigies à propoſito dimouere, ſplendoris potiſſimum veſtri & authoritatis, quibus affatim in nobili noſtro* FRANCOFVRTO *apud omnes indubie polletis, reſpectu deterritum. Sed neſcio qua erectus* ἐυελπιστίᾳ *tenacem propoſiti mentem retinui. Qua de cauſa, vbi bina, iam dicta, obſtacula è*

pedibus remouero, facile dedicationem vobis hanc non adeo diſplicituram confido. Titulus, dixi, nouus atque inſolens videri poteſt. Fateor; ſed videri. Reuera enim non eſt: cum à priſcis ſeculis ita receptum ſit, Scapha vti vocitetur Scapha, Nebulo Nebulo. Materia vilis eſt; & iſtud fateor, ſed ita tamen vilis, vt non viliſſima. Si libere, quid ſentiam, loqui velim, grauem potius & neceſſariam illam reſpectu ſui dicere auſim. Etenim

Haud facile eſt, NEQVAM noſcere poſſe virum.

Imo vero hic Rhodus, hic ſalta. Sunt enim nebulones iis plerumque moribus præditi, vt nequitiam & fraudem ſuã non modo nõ cuiuis obuiam, manibusq́ȝ veluti palpandam, proſtituant, ſed & mille eam modis, milleque artibus palliare, velare atque obtegere norint. Veſtri autem reſpectu quin vilis ſit, negare nolo. Sed aliorum meo propoſito exempla calcar addunt, quos idem, quod ego iam, factitaſſe lego. Sic SCHOPPERVS, *Poeta elegans, Vitæ aulicæ ſpeculum, ſub* VVLPIS REINIKE *aliorumque animalium Comœdia editum,* MAXIMILIANO II. *Romanorum Imperatori auguſto dedicare non fuit veritus. Idem, qui* GROBIANVM *edidit, fecit. Sexcenta alia poſſem adducere, ſi opus eſſet, ſed res in aprico eſt. Aequa igitur vos hanc meam dedicationem fronte ſuſcepturos plane nullus dubito, cum præſertim ea vos humanitate ac comitate præditos comperiar, vt omnis omnino ambigendi ſcrupulus è pectore meo iamdudum pleniſſime ſit exemtus. Bene igitur valete,*

lete, meumque hoc qualecunque in vos ſtudium æqui boniqueconſulite. FRANCOFVRTI AD MOENVM, *Calendis Decembr. anno æra Chriſtianæ M. DC. XIX.*

Joannes Flitnerus, Francus, P. L.

AD MOMVM

Pro defenſione tituli

EPIGRAMMA.

IAmdudum, NEBVLO ſceleſte, noui,
Te nociua mihi parare tela,
Et morſus ſatis inuidos minari.
Nam tuos (mihi credito) ex amuſſi
Perſpectos habeo ſcioque mores.
Tam dici bene nil poteſt ab vllo,
Tam geri bene nil poteſt ab vllo,
Quin fallaciter illud explicando
In partem rapias ſtatim ſiniſtram,
Subdolique Chamæleontis inſtar
Ex albo facias nigrum colore
Cum tamen pice nigrior nigella
Sis ipſe, & cute turpe ſordidata,
Gibbo turpiculus, recuruus ore,
Preſſis naribus, hiſpidis capillis,
Torua fronte, humeris retro reflexis,
Deorſum pede claudicans ſiniſtro.
Si verſus ſteriles & inuenuſtos
Taxabis, minus id mihi dolebit;

Cum

Cum venæ reputem meæ rigorem,
Nullius mihi conſcius vel artis,
Vel acuminis eloquentiæue;
Cumq; ego ipſe ſatis ſciam ſuperque,
Quam ſit curta mihi domi ſuppellex.
Si vero titulum ſeueriorem,
Iſti quem modo præfero libello,
Taxabis, minus id tibi dolendum eſt,
Cum vitæ malefacta cogitabis,
Nullius tibi conſcius boniue,
Virtutiſue, vel æſtimationis.
Iſtud ſcilicet vnice elaboro,
Suo vt nomine quemq; condecorem.
Nã quis pectore non putet vaciuũ,
Atque omni ratione deſtitutum,
Qui fœdam titulo ſuem Dianæ,
Bubonem titulo beet columbæ?
Par hic eſt ratio, recurſus idem.
Quis non pectoris impotem vocaret,
Meque omni ratione deſtitutum,
Si malum titulo boni bearem,
Si bonum titulo mali grauarem?
Quin ſuem potius ſuem vocabo:
Quin malum potius malum vocabo:
Quin nequam potius vocabo nequã,
Si malus bene diſcet actitare,
Tunc boni quoq; nomen impetrabit:
Sin

Sin minus, malus eſt, malus manebit;
Heus, Nequam, bene diſcito actitare,
Si nequam renuis malus vocari.
At dum nequitiæ vacare perges,
Nequam es, Nequam eris, & maneto
Nequam.

NEBV-

NEBVLONIS NEBVLONVM,

ſiue

CENSVRÆ NEQVITIÆ

ODA I.

Summam opuſculi continens.

NVCLEVS.

Perito in ſua arte eſt ſtandum.

FIdem meretur integram
Peritus arte qualibet,
Quicunque callet ſtrenue
Virum tuerier ſuum.
Sic Bartolus de iuribus,
Hippocrates de pharmacis,
Sic Muſicus de Muſica,
Et vinitor de vinea,
Piſtorque de ſiligine
Diiudicabit optime.

Ego nebulonis indolem,
Fraudes, dolos, fallacias,
Nebulone bis ſceleſtior
Olim, iuuenta dum genas
Adhuc notaret albidas,
Cum prorſus ac ex intimis
Cognouerim receſſibus,
Quis, quæſo, congruentius,
Viuiſq; cum coloribus
Eundem Apelles pingeret?
Vbi hanc in auram proditus
Vix ſiccus eſſem redditus,
Iam tunc vtramq; peſſimus
Aurem obſidebat furcifer.

Hinc ergo conſtat, optimo
Quod iure primas occupem.
Hinc, quem videtis, indicem,
Nequam refertum plurimis,
Falſariis turpiſſimis,
Vanis tenebrionibus,
Maliſq; ſtellionibus,
Scaturientem ſcriptito,
Huiuſq́; farris complicum,
Ternas fauore ſymboli
Si teſſeras iniecerint,
Infame nomen infero,
Locumq́; ſigno congruum;
DIGNVM PATELLA OPERCVLVM.

Fortaſſis admiraberis,

Lector,

Hic nebulones in album conſignat.



Lector, meam ſolertiam,
Prudentiaq́ copiam,
In collocandis ordine,
Ceu ſingulorum poſtulat
A me præeminentia,
Iſtis homuncionibus:

Sed deſines mirarier:

RERVM MAGISTER VSVS EST.

Tu, ſi tibi ſcientiam
Cupis parem conquirere,
Heus, ciuitatem protinus,
Quam priſca Francorum vada,
Mœno alluente, nominant;
Adito, quando iuuerit,
Celebreſque viſe nundinas:
Perterritus periculo
Catior redibis illico.
Ibi nebulo turpis, rapax
Impoſtor, & trifurcifer,
Velut in cloacam, confluunt.
Sed quid locum determino?
Cum cuique ſit notiſsimum,
Quod ſicut æquor piſcibus,
Sic qualibet nebulonibus
Tellus abundet grandibus;
Quos tu, fidelis Delie,
Scripturienti ſuggere,
Acreſque iambos ſubiice,
Vt nexiles nequiſsimæ
Dolos cohortis concinam,
Et ſimplices de fraudibus
Caute cauendis inſtruam.
Procul hinc probi faceßite:
Nequam phalanx accedite.

NOTÆ.

NOTÆ.

PERITIS in vnaquaque arte ſtandum eſſe, perſpicue dicit Vlpianus *in l.1.in princip. ff. de ventre inſpic.l.bonorum, de bonorum poſſeſ. l.inteſtato, de ſuis & legit.§. quod autem à nobis. in auth. de non alienan. l. ſemel.C.de re milit.lib.12.l.7.§.de ſtatu homin. cap. ſignificauit.de homicid.cap. propoſuiſti. de probat. cap. fraternitatis. de frigid. & malef. gloſſ. in §. præterea. Inſtit. de rer.diuiſ.* Et quidem non abſque ratione. *Vnusquisque* enim *bene iudicat, quæ cognoſcit, & horum eſt bonus iudex*; teſte Ariſtot.l. 1. Ethic. Stratonicus olim recte, Ptolemæo rege de Muſica cum ipſo diſſerente: *Aliud,* inquit, *eſt, ô Rex, ſceptrum, aliud plectrum.* Idem Minnaco fabro, ſecum de Muſica diſputanti: *Non animaduertis,* inquit, *te ſupra malleum loqui?* Idem quoque in quendam, qui cum primo fuiſſet olitor, poſtea factus muſicus, de arte ſecum contenderet, pronunciauit ſenarium græcum vulgo celebrem: I. *Peritis in arte ſua ſtatur.* *Ne ſutor vltra crepidã.* Apelles.

Ἄδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην.

Quam quisque nouit artem, eam canat licet.

De malitia, quæ toto hoc opuſculo perſtringitur, neruoſe Bernardus ſcribit, quod multorum tibi ſit loco: *Habet,* inquiens, *malitia currum ſuum, rotis quatuor conſiſtentem, ſæuitia, impatientia, audacia, impudentia. Valde enim velox eſt iſte currus ad effundendum ſanguinem, qui* II. *Malitiæ mores.*

nec innocentia ſiſtitur, nec patientia retardatur, nec timore frenatur, nec pudore inhibetur. Trahitur autem duobus pernicibus equis, & ad omnem perniciem paratiſſimis, terrenæ potentiæ & ſeculi pompa. Porro præſident his duobus equis aurigæ duo: Timor & liuor. Timor quidem pompam, liuor potentiam agit. Tantas profecto vitium hoc tamq; profundas noſtro ſeculo egit radices, vt infinitus propemodum nequitiæ tyronum ſit numerus. Ipſi etiam pueri ætate quanquam ſint minores, malitia tamen pares. Non ſecus ac ſerpentum pulli etſi breuiores quidem ſunt, veneno tamen æquales: catuli luporum etſi venatione nocere non poſſunt, iam tamen ſanguine gaudent & morſibus lædunt; quam ſimilitudinem habet Chryſoſt. ſuper Matth. cap. 22. Eunuchus olim quiſpiam, ceu refert Laertius lib. 6. & Bruſon. lib. 4. cap. *11.* contaminatæ famæ, inſcripſerat ædibus ſuis: Μηδὲν εἰσίτω κακὸν. *Ne quid ingrediatur malum.* Id videns Diogenes: *Aedium,* inquit, *Dominus qua ingreditur?* At hodie Diogenes ſi viueret, quid diceret?

Mali corui, malũ ouum.

Olim peculiares quædam nationes nequitia præ aliis inſigniores dictitabantur, quod par Senariorum oſtendit:

Λύδοι πονηροὶ, δεύτεροι δ' Αἰγύπτιοι,
Τρίτοι δὲ πάντων Κάρες ἐξωλέστατοι.
Lydi improbi, poſt hos ſecundi Aegyptii:
Tertiiq; Cares perditiſſimi omnium.

At

At noſtro hoc tempore tam late zizania nequitiæ excreuere, vt paradoxon quoddam videri debeat, vni atque alteri nationi peculiariter eandem, & quaſi κατ' ἐξοχὴν, attribuere.

Quod ſi tamen iocari libeat aut liceat, fatendum eſt, & noſtris hiſce temporibus quaſdam vulgo nationes nequitię nomine & gradu celebriores exiſtimari, qua de re facetam & ſalſam quandam hiſtoriolam iuuat attexere. Tempore belli Smalcaldici, ſiue Proteſtantium, vt vulgo vocant, commiſſo inter Imperatorem & Principes proteſtantes acri prælio captus erat miles quidã, corpore procerus, facie truculentus, animo, vt dicebatur, ferox atq; imperterritus. De cuius animoſitate cum ad Ferdinandum Romanorum regem (iam autem neci adiudicatus erat miſer) relatum eſſet, iuſſu regis è carcere in conclaue adductus eſt, vt de facie ipſum, quem ob pectoris magnitudinẽ ſæpe laudari audiuerat, intueretur. Quem cũ Rex interrogaſſet, cuias eſſet, atq; ille Haſſum ſe eſſe natione reſpondiſſet, Bonum, inquit Rex, nequitiæ hoc eſt augurium. Cum iterum locum, vbi educatus eſſet, rex perquiſiuiſſet, illeq;, Inter Weſtphalos, dixiſſet; Recte, inquit Rex, cõueniunt ſigna: ſed vbi hactenus locorum vixiſti? Inter Bohemos, reſpõdit ille. Cui Rex, Omnia, inquit, conueniunt. Nã hi, quib. cũ te hactenus

vixiſſe,& à quibus ſatum te eſſe dicis, tripe dum omnium ſunt nequiſſimi. Cui miles, Heus, inquit, Rex inuictiſſime, concedo quidem, quæ dicis; ſed iſtud te ſcire velim, vnam adhuc nationem deeſſe catalogo huic, quæ ſi accenſeretur, tunc demum nebulonum numerum perfectum atque abſolutum fore.

Quam cum cognoſcere voluiſſet Rex, impunitatemque liberioris dicti ipſi promiſiſſet, Hiſpanos miles ait iſtos eſſe, tacite ſalſeque Regis, natione Hiſpani, patriam ſuggillans. Rex ingenii ipſius acumine animique fortitudine collaudata tantum abeſt, vt ob παῤῥησίαν iſtum pœna affici curauerit, vt multo magis, ſtipendio donatum, ſaluum atque incolumem dimiſerit.

Verum vt vt ſit, tantas certe nequitia vbique iam terrarum, vt & paulo ante dixi, radices egit, vt optimo iure Plauti iſtud ſuffragium huc poſſis repetere, quod tale eſt in Trinum.

Noui ego hoc ſeculum, moribus quibus ſit: malus bonum malum
Eſſe vult, vt ſit ſui ſimilis: turbant, miſcent mores mali: rapax,
Auarus, inuidus, ſacrum profanum, publicum priuatum habent;
Hiulca gens, hæc ego doleo, hæc ſunt quæ excruciant:

Hæc

Hæc dies noctesque tibi canto, vt caueas, quod manus non queunt
Tangere, tantum fas habent, quo manus abſtineant.

ODA II.

In Theologos contentioſos & nugigerulos.

NVCLEVS.

Sacris non ſunt miſcenda friuola.

HVc, qui miniſtri eccleſiæ
Audire vultis candidi,
Cum ſitis atri, pergite:
Quid veſtra voſmet munia
Efflagitent, attendite.
Sacras docere literas,
Preceſque crebro fundere.
Quid vos? minus nil, proh dolor!
Nam fabulas Æſopicas
Loco ſacrati codicis
Nugasque plane friuolas
Narratis auditoribus:
Nux caſſa quanti veneat;
Vt ſimius ſaltauerit;
Quot caſeos confecerit
Stillans ocello Phylliris,
Vel ne rudes putemini,

Hic de cæruleis prædicat anatibus.



Et imperiti caudices,
Mox diſputatiunculis,
Vafriſq; quæſtiunculis,
Lites mouetis maximas,
Probriſq; voſmet inuicem
Atrocibus proſcinditis,
Vt pingue carnis fruſtulum,
Paniſue portiunculam *Veſtro*

Veſtro vorare munere
Catellus erubeſceret.
Vel forte bacchanalia
Tumultuationibus,
Colluſitationibus,
Crapulaq; clamitantibus
Cum ruſticis traducitis.
Si fors habenda concio,
Clauſis adhuc ocellulis,
Vix verba textus ebrii
Vel literas agnoſcitis.
Proh quam ſcelus nefarium,
Pœnaq; dignum maxima!
Vos, vos praire ſemitam
Rectam decebat ad Polum:
At maximo vos impetu
Recta ſub Orcum tenditis.
Quid verba proſunt ſplendida,
Si facta deſunt congrua?
Hoc ANSERES *eſt ſcilicet*
DEPRÆDICARE CÆRVLOS.

NOTÆ.

IT A profectò eſt; Omnia nunc ſolent *In peius ruere, & retro ſublapſa referri*, & cum his magna etiam Theologorum caterua, quorum munus tremendum tantam ab iis curam, ac prouidentiam flagitabat, vt dies noctesque id vnice operam darent, qua ratione multas Christo animas lucrari poſſent. At eo res proh dolor rediit, vt plu-

1. Theologorũ quorundam impietas.

vt plurima nunc eorum pars non ouicularum ſuarum, ſed propriam, eamque terrenam, quærant ſalutem, ambitionem ſectentur, auaritiam & monopolia exerceant, aleæ, venationi voluptatibuſque indulgeant,

Et ludant in equis, canibusq; & aprici gramine campi.

Alii, qui paulo probiores videri volunt, rixas inutiles cient, culices excolant, deglutiunt camelos, templa, ſcholas, curias, reſpublicas replent tumultibus, concutiunt populos, vexant regna, ſolicitant bella, diruunt eccleſias, rabidi canes, non ſacri præcones, non homines, ſed lupi, quibus volupe eſt, pecus ſibi commiſſum deglubere, atq; vna ſecum in æternum exitii barathrum præceps dare. Neque id adeo mirum.

Vetus hæc eſt querela Bernardi, qua deplorat Sacerdotum quorundam malitiam: *Heu! Heu!* inquit, *Domine Deus! quia ipſi ſunt in percuſſione tua primi, qui videntur in eccleſia tua primatum diligere, gerere principatum, arcem Simonis occupauerunt, apprehenderunt munitiones & vniuerſam deinceps libere tradunt incendio ciuitatem. Non eſt iam dicere, vt populus, ſic ſacerdos: quia nec ſic ſacerdos, vt populus.*

Quid alibi miretur, nimirum lib. 3. de conſi. ad Eugen. item audi: *Miror*, ait, *cuius ordinis ſint noſtri clerici. Nam in congregatione temporalium ſe habent, vt laici: in apparatu nobili, vt milites:*

tes: in acquiſitione redituum, vt clerici; ſed non laborant, vt laici, neque pugnant, vt milites, neq; euangelizant, vt clerici: & cum vtriusq; ordinis eſſe cupiant, vtrumque deſerunt, vtrumque confundunt. Et alibi: *Miniſtri Chriſti ſunt, & ſeruiunt Antichriſto, honorati domini, cui honorem non deferunt. Inde, quem quotidie vides, meretricius nitor, hiſtrionicus habitus, regius apparatus. Inde aurum in frenis, in ſellis, in calcaribus: plus calcaria, quam altaria fulgent. Inde menſæ ſplendidæ ſcyphis & cibis. Inde comeſſationes & ebrietates. Inde cythara & lyra, inde torcularia redundantia, promtuaria plena, eructantia ex hoc in aliud.* Hactenus Bernardus.

Quæ ſi ad aliquos noſtræ ætatis Theologaſtros adaptentur, mirum, quanta vtrorumque inter ſe harmonia exiſtet? Vt lautiſſimam quorundam luxuriam, ἀκολασίαν, ſcortationem, temulentiam, multaque alia & atrociſſima & turpiſſima vitia taceam, quem non commoueant lites, rixæ atque contentiones, quas nonnulli & publice & priuatim maximo cum auditorum ſcandalo excitant? Si penitius illas inſpexeris, mera inuidiæ & liuoris venena deprehendes, non vtilitatis, non ædificationis, ſed ambitionis, ſed vanæ alicuius gloriolæ gratia ſuſcepta. O Theologiam ἀθεόλογον! O ſacrilega ſacra!

Quod autem veri animarum paſtoris officium ſit, Ambroſius ep. 26. docet: *Sobriam à turbis grauitatem, ſeueram vitam, ſingulare pondus digni-* *II. Eorundem officium.*

dignitas ſibi vendicat ſacerdotalis. Et Chryſoſtomus in Matth 23. *Videte*, inquit, *quomodo ſedeatis ſuper cathedram, quia cathedra non facit ſacerdotem, ſed ſacerdos cathedram: non locus ſanctificat hominem, ſed homo locum. Qui bene ſederit ſuper cathedram, honorem accipit ab illa: qui male ſederit, iniuriam facit cathedræ. In iudicio enim ſedes. Si bene vixeris & bene docueris, omnium iudex eris. Si autem bene docueris, & male vixeris, tui ſolius. Nam* BENE VIVENDO ET BENE DOCENDO *populum inſtruis, quomodo viuere debeat: bene autem docendo & male viuendo Deum inſtruis, quomodo debeat te condemnare.*

III. *Facta laudē merentur, non verba. In Orat. conſol. de patr. calam.*

Multi verbis admodum ſunt prodigi, factis autem parciſſimi. Tales etiam inter Theologos dantur quamplurimi, quos tamen illud Nazianzeni aduertere par erat; *Non is, qui verbis ſapit, mihi ſapiens erit, neque is qui linguam habet volubilem, animum vero ineruditum, ſepulchrorum inſtar, quæ extrinſecus ſunt ornata & ſpecioſa, intus autem mortuorum cadauera, & multū recondunt fœtorē. Sed ille, qui pauca de virtute loquitur, multa vero oſtendit operibus, fidemq; ſermonis per vitæ roborat actionem: ſiquidem longe mihi præſtabilior eſt formæ pulcritudo, quæ conſpici poteſt, quam quæ ſermonis pingitur induſtria: nec non diuitiæ, quæ manibus continentur, quam quæ effinguntur ſomno ac ſapientia, quæ non ſermonibus ſplendet, ſed operibus colluцet. Intellectus enim bonus omnibus facientibus eam, Scriptura inquit, & non qui prædicant illam.*

Deni-

Deniq; quid verbis opus eſt? Spectemur agendo. [*Ouid.13.Met.*]

ODA III.

In Procuratores flexiloquos, & rabulas forenſes.

NVCLEVS.

Ius cereum, quo volunt, rabulæ flectunt.

CEnſura nunc tornatiles
Iurisperitos prouocat,
Qui, ceu lubet, ius cereum
Torquent, retorquent, vellicant.
Horum miniſtrant fraudibus
Digeſta, Decretalia,
Codex, Nouella, Rubrica
Dein gloſſa, lex, paragraphus,
Libellus atq; replica,
Mox duplica & mox triplica:
Sic lis plicatur litibus,
Plicasq; inexplicabiles
Plicis plicando complicant,
Vt explicari poſtea
Nullo queant negotio.
Tum Baldus atq; Bartolus,
Iaſon, Cynus, Cujacius
Durandus & Gomezius,
Oſaſcus atq; Gailius,
Maſcardus & Menochius,

Capi-

Hic garriendo literas perforat.



Capicius, Calcaneus,
Zuccardus & Giphanius
Donellus atque Boßius,
Capolla, Farinacius,
Connanus atque Accurſius,
Coraſius; Coſtalius,

Crauetta, Couarruuias,
Forcatulus, Marſilius,
Maranta, Natta, Mantica,
Mornæus atq; MoZzius,
Mudæus & Muſcornius,
Pagninus, Oldendorpius,
Pinellus atq; Scipio,
Sichardus & Sigonius,
Neguſantius, Sonsbecius,
Et quis retexat ſingulos?
Contentioſa millies
Vocantur in certamina,
Tot ſenſa, quot Capitolia:
Tot iura, quot volumina.
Affirmat hoc Coraſius:
Idem negat Coſtalius.
Idem Maranta comprobat:
Idem Maranta reprobat.
Non continere me queo,
Quin quid noui recenſeam,
Quod forte nuper accidit.
Gnatum educabat ruſticus,
Quem liberalioribus
Fors manciparat artibus.
Hic cum progreſſu temporis
In iure ſic profecerat,
Vt iuris vtriuslibet
Doctor creatus publice
Laudem referret maximam.
Noui parentes gaudii

Hic redditurus compotes
In patriam decreuerat
Migrare: ſed, ne tædio
Affligeretur temporis,
Si forſitan diutius
Moras ibidem necteret,
Digeſta ſecum detulit,
Corpusq; iuris integrum;
Vt, ſi daretur otium
Quandoq;, ius euolueret.
Craßum volumen intuens
Pater obſtupeſcit pectore,
Tacitoq; ſecum murmure
Proceritatem ſuſpicit
Et vaſtitatem codicis;
Gnatumq; tandem interrogat,
Quorſum liber conduceret
Tam mole grandi præditus:
Reſpondet illi filius:
Heus illa, quæ maiuſculis
Excuſa cernis literis,
Ius illa verum continent;
Sed illa, quæ minutulis
Excuſa cernis literis,
Hæc continent gloßemata,
Iurisq; ſtrategemata,
Et explicatiunculas
Aſtutiores ſuggerunt,
Quibus aliis ius optimum
Quandoq; ius ſubuertimus.

Reſponſa condit pectore
Parens;ſed,en,poſtridie,
Abſente caſu filio,
Et occupato forſitan
Deambulationibus,
Manu prehendit forcipem;
Per ſingulasq; paginas
Gloßas refellit ordine,
Schedulasq; latè ſordidis
Hinc inde ſpargit ædibus.
Reuerſus inde filius
Gloſſasq; ſparſas intuens
Magno furore accenditur,
Librumq; ſciſſum conquerens
Cum patre valde expoſtulat.
Cui ſubiratus pater
Reſponſa reddit talia:
Heus nate paulum comprime
Iræ furores efferæ:
Nuper per hæc gloſſemata
Iuriſq; ſtrategemata
Hortum venuſtum perdidi:
Hinc iure libris ex tuis
Argutias has flexiles
Fallaciasq; reſcidi,
Ne forte tecta,prædia,
Pecudes,agros,pecuniam,
Hortoſq; perdam ſingulos.
Tu,quiſquis es,notabilem
Attende ſemper regulam:

VITA FORENSES HARPAGOS:
Hi voce ſunt qui literas,
Sigilla lingua perforant.

NOTÆ.

1\. *Iuris & legum præſtātia.* LEx, Cicerone teſte, *eſt vinculum ciuitatis, fundamentum libertatis, æquitatis fons, mens, animus, conſilium, ſententia: & vt corpora noſtra ſine mente, ſic ciuitas ſine lege eſſe non poteſt.* Imò, teſte eodem, in oratione pro Aulo Cæcinna, *Qui ius ciuile contemnendum putat, is vincula reuellit non modo iudiciorum, ſed etiam vtilitatis vitæque communis.* Ariſtoteles lib. 5. de republ. cap. 9. *eos, qui leges tollunt, reſpublicas tollere*, & lib. 1. Rhet. c. 4. *Salutem ciuitatis in legibus ſitam eſſe* aſſerit. Hinc Heraclitus dicebat, ciues non minus oportere pugnare pro legibus, quam pro mœnibus. Quod abſque legibus nullo pacto poſſit eſſe ciuitas incolumis, abſque mœnibus poſſit. Laert. lib. 9. cap. 1. *Legibus propoſita ſunt ſupplicia vitiis, præmia virtutibus*: ait Cicero 2. de Orat. Nimirum

Quid triſtes querimoniæ,
Si non ſupplicio culpa reciditur?
Quid leges ſine moribus
Vanæ proficiunt? ſi neq; feruidis
Pars incluſa caloribus
Mundi, nec Boreæ finitimum latus,
Durataque ſolo niues
Mercatorem abigunt? horrida callidi

Vin-

Vincunt æquora nauitæ.
Horatius lib. 3. Oda 24.

Sunt, qui leges aranearum telis adſimiles faciunt, in quas ſi animal leuius aut imbecillum incurrat, hæret, ſin maius aliquid; perrumpit. Vall. lib. 7. cap. 2. Laert. lib. 1. cap. 3. *Hi ſunt qui cauſas protendunt adhibiti, impediunt prætermiſſi, faſtidiunt admoniti, obliuiſcuntur locupletati. Hi ſunt, qui emunt lites, vendũt interceſſiones, deputant arbitros, iudicanda dictant, dictata conuellunt, attrahunt litigaturos, protrahunt audiendos, retrahunt tranſigentes.* Caſſ. ſup. illud Pſal. 73. Irritat aduerſarius nomen tuum.

II. Rabularum forenſium nequitia atq; impoſtura. Sequentia omnia ſunt Caſſiodori.

Et ibidem: *Hi ſunt, qui negant ciuitatibus inducias, mercatoribus nundinas, emtoribus menſuras, reuerentiam clericis, originem nobilibus, locum prioribus, cunctis iura, diſtinctis priuilegia, quibus nullum genus hominum, ordinum, temporum cordi eſt.*

Et eodem in loco: *Hi ſunt in conuiuiis ſcurræ, in exactionibus harpyiæ, in collocutionibus beſtiæ, in quæſtionibus ſtatuæ, ad intelligendum ſaxei, ad iudicandum lignei, ad ignoſcendum ferrei, ad amicitias pardi, ad facetias vrſi, ad fallendum vulpes, ad ſuperbiendum tauri, ad conſumendum minotauri. Hi ſunt, quorum ſi nares afflauerit cuiusquam rubiginoſi aura marſupii, confeſtim videbis illic oculos Argi, & manus Briarei, & Sphyngarum vngues, & periuria Laomedontis, Vlyſſis argutias, Sinonis fallacias, fidem Polymneſtoris, & pietatem pigri leonis adhiberi.*

Alanus etiam de conqueſtione naturæ ſidus cauſidicorum euoluit. Genethliacon tale eſt: *Si quis armatus eſt pecunia, tanquam loricis argenteis, torrentis impetum Tulliani, fulgur incurſus Hectorei, robur virtutis Herculea, verſipellis Vlyſſis vilipendit aſtutias. In tantum enim habendi fames incanduit, vt Dialectica muta ſit ſubtilitas, Rhetorica langueſcat ciuilitas, vbi nummorum perorat pluralitas.* Et idem ibidem. *Si in aurem iudicis vel aduocati ſuſurret pecunia, Orphei lyra, carmen Amphionis, Muſa Virgilii, voce pecunia ſuffocantur. Quid plura? Vbi nummus loquitur, Tulliani eloquii tuba rauceſcit: vbi nummus militat, Hectorea militia fulgura compeſcuntur: vbi pugnat pecunia, virtus expugnatur Herculea: nummus vincit, nummus regnat, nummus imperat vniuerſis.*

Hinc non abs re Ouid. lib. *1.* Amor. eleg. 10.

Turpe reor, miſeros emta defendere lingua,
Quod faciat magnas turpe tribunal opes.

De iſtiuſmodi rabulis plura qui volet cognoſcere, adeat Thomæ Garzoni Piazza vniuerſale, Italo ſermone olim, nunc vero Germanice nundinis hiſce Francofurtenſibus autumnalibus editum, vbi plurima inueniet. Non me contineo, quin & Cornelii Agrippæ de hac hominum fece iudicium in medium proferam, quod in inuectiua eius de incertitudine & vanitate ſcientiarum tale eſt:

le eſt: *Aduocatorum ac procuratorum fraudulentiſsima ars, ſuaſorio cooperimento ſubdole adornata, hæc eſt: ſcire iudicem perſuaſione demulcere, & ad omne arbitrium vti, ſcire iuribus vel inuentis gloſsis ac commentis, leges quascunque pro libidine fingere & refingere, vel iniquis quibusque diuerticulis illas ſubterfugere, aut fraudulentam litem prorogare: ſic citare leges, vt peruertatur æquitas, ſic gloſſatorum adſtruere authoritatem, vt ſubuertatur ſenſus legis, menſque legislatoris: in hac arte plurimum momenti habet, altum vociferari, audacemque, & in litigando clamoſum & improbum eſſe. Iſque habetur aduocatorum optimus, qui plures allicit ad litigandum, & promiſsa ſpe vincendæ litis in iudicium impellit, ſtimulatque impiis conſiliis, qui venatur appellationes, quique eſt egregius rabula, ac iurgiorum author, qui garrulitate ac linguæ viribus nihil non poſsit: ſed & quamuis cauſam, iniuſtam licet, alteri iudiciorum præſtigiis præferre, ac vera & iuſta iſto modo dubia & iniqua facere, iuſtitiamque ipſam ſuismet armis profligare, peruertere, proſternere: apud quos iuſtitia nihil eſt, niſi publica merces, at*

Iudex in cauſa qua ſedet acta probat.

Sed & ea etiam, quæ non ſunt rerum ſcilicet priuationes & ſilentia, precio exponunt: nam vt nullus eorum loquitur, niſi ad mercedem, ita nec tacet, niſi ad præmium: exemplũ puto Demoſthenis, *qui cũ Ariſtodemũ fabularũ authorem interrogaſset, quantũ mercedis, vti ageret, accepiſſet, & reſponderet ei, Talentũ:*

At ego, inquit, plus accepi, vt tacerem. Cauſidicorum ſiquidem lingua tam damnifica eſt, vt, niſi vinciatur muneribus, fieri non poſſit, quo minus noceat.

ODA IV.

In Calumniatores ac delatores.

NVCLEVS.

Melius eſt, in coruos incidere, quam in adulatores.

SI quicquid exoptabile
E pectoris ſententia
Vellem mihi ſuccedere,
De cordis illud intimis
Expoſcerem receſſibus,
Vt, qui ſtudent calumniis,
Ab arbore ambo pendeant,
Qui geſtat, ore penſilis,
Qui captat, aure nexilis.
Vix turpius calumnia,
Detractione tetrius,
In orbe crimen noſcitur;
Vix vſitatius tamen
Crimen, ſcelusq; notius,
Quod perpetretur ſæpius:
Non Imperator effugit,

Non

Vinum hic venale proclamat.



Non Principes, non Nobiles,
Non diuites, non pauperes,
Non ciuici, non ruſtici,
Non maſculi, non fœminæ,
Vitare poſſunt liuidæ
Aculeos calumniæ.

Quia ipſa ſæpe turpibus
Virtus patet calumniis.
Honore quamuis Cæſarem,
Labore quamuis Herculem,
Sapientiaq́; Socratem,
Oratione Tullium
Vincas, tamen calumniæ
Telo peteris noxio.

Sic olim Homerum Zoilus,
Simonidem Timocreas,
Amphimeneſq́; Pindarum,
Calumniis grauiſſimis
Auſi fuere perſequi.

Quid multa? quamuis adſoret
Demoſthenis facundia,
Platonis eloquentia,
Iſocratis dicacitas,
Tamen nequiret ſingula
Calumniæ retexere
Venena, damna, vulnera,
Quibus innocentes implicat,
Miſerrimeq́; conficit.

Quamuis enim mendacia
Curanda non ſint anxie,
Vetus eſt tamen dicterium,
Quod ore ſemper geſtitat
Calumniatrix turbula,
Locumq́; ſæpe repperit:
CALVMNIARE STRENVE:

Si non

Si non nocebunt omnia,
Saltem nocebunt pleraq;.

NOTÆ.

Multi cenſores ſunt calumniæ, pauci oſores. Ex cenſoribus, hem tibi vnum atq; alterum. I. *Calumnia vitium.*

Cleanthes.

Κακουργότερον οὐδὲν διαβολῆς ἐστί πω,
Λάθρα γὰρ ἀπατήσασα τὸν πεπεισμένον
μῖσος ἀναπλάττει πρὸς τὸν οὐδὲν αἴτιον.
Nihil fere tam eſt malignum, quã calumnia.
Hac enim vbi clam aliquem à ſe perſuaſum decepit,
Odium excitat aduerſus eum, qui nihil eſt commeritus.

Euripides in Alexandra.

——*Διαβολαὶ δεινὸν ἀνθρώποις κακόν.*
Vehemẽs malum eſt inter homines calumnia.

Menander.

Οὐδὲν διαβολῆς ἐστιν ἐπιπονώτερον.
Τὴν ἐν ἑτέρῳ γὰρ κειμένην ἁμαρτίαν.
Ἀεὶ μέμψιν ἰδίαν αὐτὸν ἐπάναγκες λαβεῖν.
Τὸ δοκεῖν διαβολὴν ἔσχε μείζω τοῦ ποιεῖν.
Nihil eſt grauius, quam calumnia
Nam quod alteri ineſt peccatum,
Ceu proprium ſuſcipere neceſſe eſt.
Suſpiciones maiorem pariunt calumniam,
quam ipſa facta.

Athanaſ. apolog. 1. *Qui lapide*, inquit, *ictus eſt, quærit medicum: ictus autem calumniæ grauius, quam lapides feriunt. Eſt enim calumnia claua, &* gla-

gladius, & iaculum incurabile. Sed his veritas mederi poteſt, quæ vbi negligitur, vulnera acerbiora fiunt.

11. *Calumniæ duplex remedium.*

Duplex contra calumniam datur remedium: hoc diſſimulandam, illud vindicandam eſſe ait. Prius ſuppeditat Menander:

ἥδιον οὐδὲν, οὐδὲ μουσικώτερον,
ἔστ᾽ ἢ δύνασθαι λοιδορούμενον φέρειν.
Ὁ λοιδορῶν γὰρ, ἂν ὁ λοιδορούμενος
μὴ προσποιῆται, λοιδορεῖθ᾽ ὁ λοιδορῶν.
Iucundior res nulla, nec concinnior
Conuitiantem poſſe quam nobis pati.
Conuitia etenim ſi tibi quis fecerit,
Id diſſimula: & ille ipſe tum qui fecerit
Tibi, facta ſentiet ſibi conuitia.

Poſterius Baſilius, epiſt 65. *Ad calumnias tacendum non eſt, ne mendacio inoffenſum progreſſum permittamus, aut eos, qui ſeducti ſunt, damno inhærere ſinamus.*

Vtrum nunc conſultius, priuſne an poſterius? Mihi poſterius videtur: cum præſertim idem ille Menander alibi in eandem ſententiam pedibus eat, cuius en tibi Senarios:

Οὐ δεῖ διαβολῆς καταφρονεῖν, οὐδ᾽ ἂν σφόδρ᾽ ᾖ
ψευδής· ἐπίστανται δ᾽ αὐξάνειν αὐτήν τινες,
δι᾽ οὓς φυλάττεσθαι τὰ τοιαῦτ᾽ ὀρθῶς ἔχει.
Spernenda non eſt vel minima calumnia.
Nam plurimi artem illius augenda tenent:
Quos propter illam qui cauet, recte facit.

Veruntamen anceps animi iterum hæreo, iamque fere in alterum latus propendeo, Alciati Emblemate 163. motus, quod adſcribere libet:

Audent

Audent flagriferi matula, ſtupidique magiſtri
Bilem in me impuri pectoris euomere.
Quid faciam? reddamne vices? ſed nonne cicadã
Ala vna obſtreperam corripuiſſe ferar?
Quid prodeſt, muſcas operoſis pellere flabris?
Negligere eſt ſatius, perdere quod nequeas.

ODA V.

In milites Thraſones, glorioſos, blaſphemos, rapaces.

NVCLEVS:

Nulla fides pietaſque viris, qui caſtra ſequuntur.

QVi *caſtra militaria*
Exercitusq; bellicos
Sequuntur, has blaſphemias
Minasq; crudeliſſimas
Exercitare conuenit,
Per ſacra, per myſteria,
Per paſſiones, vulnera,
Deique per potentias,
Per grandines, per ſidera,
Elementa, fulmen, fulgura,
Per turbines, tonitrua,
Per mille tonnas Dæmonum,
Et ſi quid his horrendius,

Iura-

Hic ferrum mandit.



Iurare oportet ſtrenúe.
Hoc aſſeuerant Symbolon
Virilis eſſe pectoris,
Signumq; fortitudinis.
His vnum idemq; creditur,
Vel pro Deo arma ſumere,

Vel

Vel militare Dæmoni.
Hæc vna virtus militum,
Velutq; quoddam proprium.
Sui deinde muneris
Et illud eſſe exiſtimant:
Vaſtare ſacra, perſequi
Ciues, domos incendere
Igni, ſtuprare fœminas,
Meſſes opimas perdere,
Frumenta, plumas, lectulos,
In aerem diſpergere,
Furtis equos, pecuniam,
Piceisq; quæ fors vnguibus
Occurſitant, ſubducere,
Et obuiantem quemlibet,
Vel ſit nocens, vel innocens,
Modis ſceleſtis angere,
Hi ſcilicet ſunt milites,
Viriq; fortes bellici,
Laboris infenſiſſimi
Hoſtes, amici ignauiæ.
Non militant hi principi
Iuris tuendi gratia,
Sed vt rapinam exerceant
Maiore cum licentia,
Raſtriq; vitent pondera.
Si forte vino exæſtuent,
Latitentue propugnaculis,
Proculue diſtent fulmine,
Horrenda ſumunt cornua

Linguaque vincunt Stentorem;
Nihilque ferme ſæpius,
Quam ferra, pugnos, verbera,
Turmas, phalanges, ordines,
Tormenta, ſcuta, vulnera,
Morteſque diras intonant.
Ad arma cum concurritur,
In crura corda decidunt,
Horrent, paueſcunt, contremunt,
Adſtantq; ſemimortui.
Mox quando odorant verbera,
Velociores ceruulis,
Pedibus ſaluti conſulunt,
Fugaq; terga præbitant.
Horum minis qui concidit,
Hic iure, non iniuria,
Demortuus ſonantibus
Bombis aſelli conditur.

NOTÆ.

PHILIPPO olim cum Græcis pugnaturo, Diogenes in eius caſtra peruenit. Perductus igitur ad Philippum, ac rogatus, num ſpeculator eſſet? *Stultitiæ*, inquit Diogenes, *vanitatisque tuæ verus ſum ſpeculator, qui cogente nullo, de vita & de regno, velut ad caſum alea, periclitaturus venis.* Vtinam hodie audirent Diogenem, ita loquentem, terrarum principes, qui ſæpenumero, nulla vrgente neceſſitate, pro-

propriis ſtimulati affectibus bella cruentiſſima & pluſquam ciuilia ſuſcipiunt, in magnam ſuorum perniciem. Exclamem merito cum Horatio lib. Epod. Od. 7. per parodiam:

Quo quo furentes ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enſes cond.ti?
Parumne campis atq; Neptuno datum
Eſt Chriſtiani ſanguinis?
Neq; hic lupis mos, neq; fuit leonibus
Vnquam, niſi in diſpar feris.
Furorne cæcus, an rapit vis acrior?
An culpa? Reſponſum date.
Tacent, & ora pallor albus inficit,
Menteſq; perculſa ſtupent.

Et cum Virgilio, lib. *1.* Georgicorum:

Quippe vbi fas verſum atq; nefas: tot bella per orbem,
Tam multæ ſcelerum facies: non vllus aratro
Dignus honos, ſqualent abductis arua colonis:
Et curuæ rigidum falces conflantur in enſem.
Hinc mouet Euphrates, illinc Germania bellum:
Vicinæ ruptis inter ſe legibus vrbes
Arma ferunt: ſæuit toto Mars impius orbe:
Vt cum carceribus ſeſe effudere quadrigæ,
Addunt ſe in ſpacia: & fruſtra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neq; audit currus habenas.

Belligeramur aßidue, inquit Eraſmus 4. Apoph. cent. 1. *gens cum gente colliditur, regnum cum regno, ciuitas cum ciuitate, princeps cum principe, po-*

pulus cum populo, & quod Ethnici *quoque fatentur impium, affinis cum affini, cognatus cum cognato, frater cum fratre, filius cum patre: denique, quod ego ſane puto his omnibus atrocius, Chriſtianus cum Chriſtiano.* Et *ô cæcitatem mentis humanæ! hæc nemo miratur, nemo deteſtatur. Sunt qui applaudant, qui vehant laudibus, qui rem plusquam Tartaream ſanctam appellant, ac principes vltro furentes inſtigant, oleum, quod aiunt, camino addentes.*

Et ibidem: *locus & ludus ſunt in militia, domos diripere, fana ſpoliare, virgines rapere, ſolidas vrbes atq; oppida incendere: Magna propterea dementia corrumpere, quod retinere non valeas. Hæc ſcilicet ſunt belli decora, profuiſſe nemini, nocuiſſe quamplurimis, nullo reſpectu aut recordatione præſidentis mundo Dei.* Vt tribus, quod aiunt, verbis totum dicam,

NVLLA SALVS BELLO.

Vt maiorem etiam belli nauſeam tibi creem, Cornelii Agrippæ de hoc iudicium apponere libet, quod tale eſt in inuectiua de incertitudine & vanitate ſcientiarum: *Hic maximus militum labor eſt, obſidere ciuitates, iacere tela, fremere tormentis, admouere machinas, perfodere muros, concutere turres, occupare mœnia, parare incendia, diruere arces, ſpoliare templa, diripere vrbes, ſubuertere oppida, vaſtare agros, conculcare leges, adulterari matronas, ſtuprare viduas, rapere*

vir-

virgines, ciues alios vulnerare, alios incarcerare, alios deportare, alios trucidare. Tota denique diſciplina hæc, non niſi in hominum pernicie occupata, hunc finem quærit, vt famoſos vrbium euerſores, ſtrenuoſque homicidas faciat, transformetque homines in ritus ferarum moreſque belluarum. Hinc bellum nihil aliud eſt, quam commune multorum homicidium ac latrocinium, nec aliud milites, quam ſtipendiarii, & in reipublicæ exitium armati latrones, perfeßores, raptores, ſicarii, fures, ſacrilegi, gladiatores, ſtupratores, lenones, ſcortatores, adulteri, proditores, peculatores, abigei, aleatores, blaſphemi, venefici, parricidæ, incendiarii, prædones, piratæ, tyranni & eiuſmodi. Quos omnes qui vno nomine velit exprimere, dicat milites, hoc eſt, reuera barbaricas ſceleratorum hominum feces, quos mala mens, malus animus ad omne facinus extimulat, quos penes dignitatis & libertatis nomen habet licentiam delinquendi & latrocinandi, vndique quærentes, vt noceant, ipſamque innocentiam, veluti mortis quandam imaginem, odientes, omneſque quaſi vnum corpus ſunt ex patre & genitore Diabolo, cuius illi ſunt membra, de quo ait Iob: Corpus illius *quaſi ſcuta fuſilia, & compactum ſquamis ſe prementibus: vna vni coniungitur, & ne ſpiraculum quidem incedit per eas, vna alteri cohæret, tenentes ſe nequaquã ſeparabuntur: aßiſtunt ſibi, qui cõuenerunt in vnũ aduerſus Dominũ & aduerſus* Chriſtũ *eius. Inſignia a militiæ ſunt nõ purpura, torques, annuli, tiara: ſed aduerſo pectore vulnera, & deformata cicatricib. corpora. Exercitiũ*

non niſi cum plurimorum exitio, doloreq; coniunctum, morum, legum ac pietatis pernicies, cum Chriſto, cum beatitudine, cum pace, cum charitate, cum innocentia, cum patientia ex diametro pugnās. Præmia eius ſunt gloria nobilitatis, humani ſanguinis effuſione parta, imperii propagatio libidine dominandi & poßidendi, cum multarum animarum perpetua damnatione. Nam cum omnis belli finis ſit victoria, nemo poteſt eße victor, niſi homicida: nemo contra victus, niſi male perierit. Mors igitur militum peßima, malum epitaphium ſibi inducente peccato. Qui autem occidunt, iniqui ſunt, etiamſi iuſtum ſit bellum. Non enim propter hoc, ſed quia lucri & prædæ gratia militarunt, impii homicidæ in eos, quos male occidunt. Si qui autem iuſte ab illis perimuntur, ipſi qui occiderunt, in carnificum ordinem ſeipſos ſtatuentes, nobilitatem hanc commeruerunt, cumq; leges alioqui in prædones, raptores & ſicarios pœnis ſæuiant, tales nomine militiæ habentur nobiles & honeſti.

II. *Moderna militia diſciplina qualis.*

Modernæ militiæ imaginem genuinam, ex probatis hiſtoricis Liuio, Tacito, & Curtio collectam, & noſtro ſeculo accommodatam non vt conuitium, ſed vt medicinam, en tibi habe: *Emunt duces militem, non legunt. Pecuniola proponitur, tympanum ſtrepit: & ecce coeunt aliquot ignoti inter ſe ignoranteſque, purgamenta vrbium ſuarum, quibus ob egeſtatem & maxima flagitia peccandi neceßitudo eſt, aßueti latrociniis, bellorum inſolentes, quorum lingua vana, manus rapaciſſima, gula immenſa, pedes fugaces, quæ honeſte nomi-*

nari

nari non poſſunt, honeſtiſſima, nullam diſciplinæ formam, nec extrema quidem eius lineamenta ſeruantes, laſciuientes certatim, inter quos omnia indiſpoſita, temulenta, peruigiliis Veneris, ac Bacchanalibus potius, quam diſciplinæ & caſtris propria. Hi nec in procinctu & caſtris habentur, ſed per municipia deſides, hoſpitibus tantum metuendi, effundunt ſe in luxum, epulas & nocturnos cœtus: ibi circumferri merum largius iubent, debellaturi ſuper menſa Alexandrum: ſuas vires extollere docti, hoſtium paucitatem contemnere: cæterum galeati lepores, & quibus vt ad populandos finitimorum agros, tectaque vrenda, & capienda pecora, aliqua vis ſit, ita in acie & ſignis collatis nulla vis eſt, nec in victoria eis decus, nec in fuga flagitium. Vt omnia paucis: Exercitus lingua, quam manu, promtior, prædator è ſociis, & ipſe hoſtium præda.

Aurelianus olim, cum à vicario ſuo literas accepiſſet, quibus efflagitabat, quomodo res inter exercitus gerenda eſſet, ſtatim reſcripſit huncin modum: *Si vis tribunus eſſe, imo ſi vis viuere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo contingat, vuam nullus auferat.* Sic Vopiſcus in Aurelio.

At, bone Deus, quid noſtro hoc ſeculo prius aut potius queramur? Proh quanta flagitia, quanta ſcelera in bellis non perpetrantrur? *Vt* (quod Ludouicus Viues in epiſt. ad Henric. VIII. Angliæ regem ſcribit) *hoc demum videatur eſſe, vere ac germane militare, nihil*

arbitrari æqui ac boni propter ſe eſſe ſancitum, nullo ſe iuri eſſe ſubditum, ſe in vagina leges omnes cum ferro geſtare: quicquid conſcelerato animo collibuerit, id ſolum eſſe ius & æquum. Adeo milites noſtri, ſiue quo eant, ſiue redeant, furantur, rapiunt, conſtuprant, pulſant, abigunt pecora, pertuſis vaſis ſinunt effluere vinum. Quid multis? Crudelius tractant ſuos, quam hoſtes. Et hoc hodie, ſi ſuperis placet, appellatur ius militare, & ad hæc conniuent principes. Lucanus lib. 10. bell. ciuil. multa paucis comprehendit:

Nulla fides pietasq́ viris, qui caſtra ſequuntur:
Venaleſq́ manus: ibi fas, vbi maxima merces.

Sed eheu!

---- ---- quis talia fando
Temperet à lacrymis?

1. Aeneid.

III. *Vera militia encomium, & viri militis requiſita.* Verum hęc haud ideo dicta ſunto, quaſi omnem omnino militiam iniquam eſſe contendere auſim. *Militare enim*, inquit Auguſtin. de verbis Domin. *nõ eſt delictum, ſed propter prædam militare, peccatum eſt.* Imo, quod Cicero teſtatur pro Muræna. *Rei militaris virtus præſtat cæteris virtutibus: omnia noſtra ſtudia, & hæc forenſis laus & induſtria latent in tutela ac præſidio bellicæ virtutis: & ſimul atq́ increbuit ſuſpicio tumultus, artes illico noſtræ conticeſcunt. Omnia denique, quæ ſunt in imperio, in ſtatu ciuitatis, ab iis defendi & fir-*

ſirmari putantur, qui militari virtute antecellunt.

Et in eadem Oratione: *Multo plus adfert dignitatis res militaris, quam iuris ciuilis gloria. Vigiles tu de nocte, vt tuis conſultoribus reſpondeas: ille vero, quo intendit, mature cum exercitu perueniat. Te gallorum, illum buccinarum cantus exuſcitat. Tu actionem inſtituis, ille aciem. Tu caues, ne tui conſultores, ille, ne vrbes aut caſtra capiantur. Ille tenet & ſcit, vt hoſtium copiæ tu, vt aquæ pluuiæ arceantur. Ille exercitatus eſt in propagandis finibus, tu in regendis.*

Veri militis requiſita paucis coarctat Veget. lib. 7. de re militari: *Iuuentus*, inquit, *cui defenſio prouinciarum, & bellorum fortuna committenda eſt, & genere, ſi copia ſuppetat, & moribus debet excellere. Honeſtas enim idoneum militem reddit: verecundia, dum prohibet fugere, victorem.* Inutiles autem omnino ſunt glorioſi illi Thraſones, qui lingua quidem & minis vno ictu ſexcentos profligare ſeſe poſſe iactant, quibus autem vbi ad pugnum & pugnas deuentum eſt, ſecundum Homericum illud, *IV. Veri militis requiſita.*

----- παραὶ ποσὶ κάππεσε θυμός,

in pedes mens decidit imos.

Eraſmus hos *piſciculis ſimiles* eſſe ai[illegible] qui vocantur *gladioli*: quippe qui glad[illegible]dem haberent, cor autem non habere[illegible]cis Virgil. lib. 4. Aeneid.

Degeneres animos timor arguit.

Cæterum de requiſitis veri militis diſſerentem vide I. Lipſium, Politicor. lib. 5. cap. 7. 8. 9. & Althuſium Polit. cap. 34.

ODA VI.

In adulatores Chamaleontæos.

NVCLEVS.

Adulator cum laudat, pungit.

QVi mel ferunt in oribus,
Sed fel gerunt in cordibus.
Hi ſunt in orbe plurimi.
Quocunque ocellos miſsitas,
Sedem ſibi firmiſsimam
Defixit hæc aſtutia.
In Curiis, Eccleſiis,
Scholis, & aulis Principum,
Inter viros celſiſsimos,
Ciues, & inter ruſticos:
Paucis; vbique gentium
Viri morantur duplices.
Aquas [illegible]ntes porrigunt,
In corde [illegible] apparant,
Quod ore poſcunt, pectore
Qu[illegible] maxime faſtidiunt.

Hic

Hic barbam nectit ſtramineam.



Hoc orbis eſt nunc proprium.
Verbis medelam ſuggerit,
Factis venenum porrigit.
Hoc dicit, illud cogitat,
In ore: Te iuuet Deus:
In corde: Tollat Cerberus.

Si forſan obuiaueris,
Heus, Frater, inquit optime:
Cum paulo poſt receſseris,
Calumniatur peſsime.
Hic ſcilicet contortili
Barbam plicare ſtramine
Fumoſq; nouit vendere,
Et crocodili lacrymas
Oculis doloſis fundere.
Hæc ſcilicet, naſutuli
Quod dictitant homunculi,
Ciuilis eſt prudentia,
Et laude digna maxima,
Tacere, quæ quis cogitat,
Et cogitare, quæ tacet.
Picem vocare candidam,
Niuemq; nigram dicere!
Si digna quiuis præmia
Factis meretur propriis,
Vos milleformes Prothei,
Cum ſitis ore duplices,
Os promeretis vndiq;
Grandi refertum ſtercore.

NOTÆ.

Viri duplices quinam.

T*Vrpe eſt*, inquit Seneca in epiſt. ad Lucil. *aliud loqui, & aliud ſentire.* Homerus vehementius in huiuſmodi nebulones, duplici præditos pectore, inuehitur in Iliad.

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσίν, ἄλλο δὲ βάζει.

Hoc

Hoc eſt:

Exoſus enim ille mihi, velut inferorum portæ,
Qui aliud quidem occultum habet in mentibus,
aliud vero ore profert.

Sic Plautus in Aſinaria:

Pro monſtro eſt, quando, qui ſudat, tremit.

Noſtro certe nunc hoc ſeculo tam late ſerpſit contagio hæc, vt tota hominum ferme omnium vniuerſitas malo hoc, ceu lue quadam peſtilentiſſima, infecta merito dici poſſit. Ita nunc omnis candor, fideſque omnis exulat. Vix milleſimum ex hominum pectore prouenit verbulum. Omnia ficta, omnia ſub caritatis ſpecie fucata, vereque γλυκόπικρα ſunt, hoc eſt, dulcia-amara. Dulcia quidem externa ſimulatione: amara autem & venenoſa interno receſſu.

Bellum in hunc ſenſum eſt epigramma, quod addo:

Nō aliud genus eſt hominum tam vulnere dirum,
Non telis Scythicum letiferis celebre:
O's pingui, quam quod butyro mollius effert,
Verbaq; depromit lenius ipſo oleo:
Intus ſed toto meditatur vulnera corde,
Quæ iaculis Scythicis aſperiora facit.

At locus dandus erat Phocylidis monito:

μηδ' ἕτερον κεύθῃς κραδίῃ νόον, ἄλλ' ἀγορεύων.

Noli aliam occultare in corde ſententiam,
& aliam proferre.

ODA VII.

In proditores ac delatores.


NVCLEVS.

Nil proditore turpius.

SIc eſt: Iūdas proditor
Scelus patrauit peſſimum,
Quod innocentem perdidit,
Cruciq; Chriſtum tradidit.
At ille nummos interim,
Sui furoris præmium
A Phariſæis rettulit.
At proditores millies
Nunc nequiores reſcias,
Qui non verentur, candidos
Plane, viroſq; innoxios
Gratis macello dedere,
Suiq; nullum criminis
Efflagitare præmium.
Iſtud profectò dixerim,
Iudas adhuc ſi viueret,
Tantamq; furum cerneret
Rediuiuus impudentiam,
Locum tueri proditor
Vix, credo, poſſet infimum.
At hi magiſtri fraudium,

Hi

Hic macello innocentem offert.



Hi proditores, lanii,
Hoſteſq́ ſanguinarii,
Tam ſunt in arte callidi
Vt ſubdolas fallacias
Omnes ad vnguem nouerint;
Licetq́ ſint nequiſſimi,

Tamen

Tamen antecellunt omnibus,
Primasq́ſemper occupant,
Et lautiorem regibus
Plerumq́ vitam ductitant.
Iudas, abominabili
Tandem piaclo cognito,
Tanto metu proſternitur,
Exoſus vt ſibi ipſemet,
Ductusq́ pœnitudine
Animam ſceleſtis faucibus
Suſpendio prácluſerit.
At hi cachinnos excitant,
Cum quem macello deſtinant,
Nihilq́ de ſuſpendio
Parumue ſudant anxii.
Sed cum ſuprema iudicis
Olim die nouiſsimo
Feretur (ob) ſententia,
Tunc laniorum turbula
Orci macella perpetim
Subibit infernalia,
Suaq́ſumet congrua
Crudelitatis prǽmia.

NOTÆ.

Proditionis vitium deteſtabile.

DE Iuda Hieronymus in Epiſt. ad Ruſt; *Iudas*, ait, *de Apoſtolatus faſtigio in proditionis Tartarum labitur, nec familiaritate communi, nec intinctione buccellæ, nec obſequii gratia frangitur; ne*

ne hominem tradat, quem filium Dei nouerat. Et Ambroſius in Matth. cap. 26. *Inſtrumento pacis mortem irrogat: ſeruus dominum, diſcipulus magiſtrum ſic prodit; quaſi, inquit, per inſtrumentum pacis perimis ipſam pacem, de oſculo machinaris ipſam proditionem.*

Prægrande hoc vitium Franciſcus Petrarcha etiam perſtringit Dialog. 80. quem integrum vide. Non procul à fine hæc, quæ ſequuntur, extãt: *Nil ſceleſtius proditore. Nil turpius ſol videt, cuius obſcœnitas tanta eſt, vt & qui artificio eius egent, execrentur artificem, & qui cæterorum ſcelerum famam quærunt huius infamiam reformident.*

Tanto ſcilicet odio ſemper proditionis vitium laborauit, vt nemo non omnibus illam diris execrationibusq; deuouerit. Exemplo nobis ſunto ex priſcorum Romanorum documentis Camillus & Fabricius, quorum alter Faliſcorum, quos octennali obſidione iam ſucceſſu irrito preſſerat; pueros à magiſtro per deambulationis ſpeciem eductos, ſibique, tanquã certam victoriæ ſpem, traditos accipere noluit, turpẽ hunc proditorẽ auerſatus, vinctũ nudatumq; terga, adoleſcentulis verberibus in vrbem agendum tradidit; teſte Liuio lib. 5. Alter autem commoda itidem proditionis oblata occaſione, proditorem omnino reſpuit atque deteſtatus fuit:

fuit: *Hic*,inquiens, *eſt ille Fabricius, qui difficilius ab honeſtate, quam ſol à curſu ſuo, auerti poßit*. Sexcenta proditionis exempla qui cognoſcere auet, adeat Theatrum Philoſophicum Rauiſii Textoris pag. 575. & ſeqq. vbi voto ipſius abunde ſatisfiet.

ODA IIX.

In pollicitatores grandiloquos.

NVCLEVS.

Pollicitis diues quilibet eſſe poteſt.

SIc orbis vſus obtinet,
Styluſque noſtræ curiæ:
Spondere montes aureos,
Et pauculos arenulæ
Puluiſculos exoluere:
Grandes equos promittere:
Pullumque aſelli reddere:
Magnum vouere cereum,
Qui quantitate populum
Malumue vincat nauticum,
Deinde vix minutulam
Offerre ſebi tedulam.
Sic omnis (heu!) euanuit
Candor, fides, integritas.

Hone-

Hic in taleam loquitur.



Honeſtitudo, veritas,
Æqui boniq́ gratia.
Sic fallit hoſpes hoſpitem,
Et venditorem venditor:
Sic ſeruus herum decipit,
Herusq́ ludit ſeruulum.

Nil veritati conſonum
Totum per orbem viſitur.
Fideſq́ tuta nullibi:
Sed cuncta vel craſsiſsimis
Referta ſunt mendaciis;
Vel hercle callidiſsimis
Connexa ſunt fallaciis.
Sic GARRIVNT IN TALEAM,
Qui verbulis ditiſsimi,
Factisq́ ſunt pauperrimi:
Quibus vſitatum eſt dicere:
Eſt polliceri nobilis,
Seruare pacta ruſtici.

NOTÆ.

I. *Montes aureos promittere.*

CVM Leoſthenes ciuitatem Atheniēſium, ad bellum impuliſſet, magnificis ſpebus ad nomen libertatis ac principatus erectam: Phocion illius verba dicebat eſſe cupreſſis ſimilia, quæ ſublimes cum ſint ac pulcræ, fructum non habent. Nihil profecto dici potuit accommodatius in ſermonem ſplendide magnificeq; pollicentem, ſed infrugiferum: quemadmodum cupreſſus arbor ſublimi compoſitoque in conum vertice, procul egregium quiddam polliceri videtur, cum vix tamen vlla ſit ſterilior. Hinc in prouerbium abiere CHARETIS POLLICITATIONES, αἱ χάρητος ὑποσχέσεις, de illis dici ſolitæ, qui Charetem

retem Athenienſem æmulati, multa facile ac benigne promittunt, iuxta illud Naſonis, 1. Art.

Promittas facito: quid enim promittere lædit?
Pollicitis diues quilibet eſſe poteſt.

De iſtiuſmodi pollicitatoribus Terentius etiam in Andria act.4. ſcen.1.

In denegando modo queis pudor paululum adeſt:
Poſt vbi tempus promiſſa iam perfici,
Tum coacti neceſſarioſe aperiunt,
Et timent, & tamen res premit denegare.
Ibi tum eorum impudentiſſima oratio eſt:
Quis es tu? quis mihi es? cur mea tibi?
Heus, proximus ſum egomet mihi: attamen vbi fides?
Si roges, nihil pudet. hic, vbi opus eſt,
Non verentur: illic, vbi nihil opus eſt, ibi verentur,

Notare autem debebant iſti homines illud Pythagoræ, qui, *Age*, inquiebat, *res præclaras, nihil magnifici interim promittens*, (Teſte Stobæo ſerm. de virtute) æmulati hac in parte morum arborem, quæ dicitur prouerbialiter ſapientiſſima arborum. Nam vltima flores producit, prima vero vel imprimis fructus: Ita non eſt diu antea oſtentandum, quid poſſimus, vel velimus: tarde potius eſt promittendum, & mature tunc præſtandum. Et elegans de hac materia II. *Promiſſis ſtandum.*

dictum eſt Stobæi lib.de moribus: *Priuſquam promittas, delibera: & cum promiſeris, facies: prius ſi negaueris, feciſſe poſtea fallere eſt. Id ergo agas, vt ne quis merito tuo te oderit.*

Coronidis loco epigramma Iaçobi Billii, quod in Anthologia eius extat, de Dei ac mundi pollicitationibus, annecto:

Vt mundus, ſic ſunt mundi promiſſa, quod ipſe
Promittit, fictum eſt, fictus vt ipſe quoq; eſt.
Vt Deus eſt, ſic ſunt bona, quæ promittit, & offert:
Certus vt eſt, certas ſic dare nouit opes.
Quam nos læui igitur! Certo non fidimus: illi
Fidimus at contra, quem dare verba iuuat.
Sic ſumus huic ſimiles, quem ſpe deludit inani
Perdix, dum pullis conſulit ipſa ſuis.

ODA IX.

In Scholaſticos plumigeros vanaq; eruditionis opinione inflatos.

NVCLEVS.

Non pluma, non veſtis, ſed ars ſtudioſum facit.

FEx nunc iners ſcholaſtica
Prodi e tandem in publicum,
Suisq; dignum fraudibus

Locum

Hic artes ſimul omnes cum ſacculo deuorat.



Locum ſubire quaritat.
Sic ordo namq; poſtulat.
Non, ora centum ſi forent,
Linguæq; multo plurimæ,
Sat hercle poſſem commode
Scholaſticorum ſubdolas

Fallacias exponere;
Non, Argus etſi viueret,
Poßet ſuis ocellulis
Videre, vel perquirere
Aſtutias ſcholarium.
Veruntamen conabimur
Praſtare, quantum poſſumus.
Vix regulam ſyntaxeos
Primam cerebro condidit:
Vix ora pugnis rubida,
Nudumq; virga podicem
Subduxit, ecce, grandibus
Tumidusq; feruens aſtibus
Incedit, atq; virgei
Caligas doloris conſcias
Abominatur peßime,
Natibusq; ſplendidißimas
Adaptat atq; amplißimas.
Latus deinde debile
Enſi coaptat maximo,
Quo ſicut aquilibrio
Innititur, maiuſculo
Ne forte raptus ventulo
In ſaxa dura concidat,
Capitisq; mulctam ſentiat.
Mox criſtulas in pileo,
Mox criſtulas in pectore
Faſtu ſuperbus erigit,
Crurisq; ſubligaria
Hinc inde nectit pendula,
Quibus ſuperuacaneum

Vento creet negotium,
Muſcaq; punctiunculas
A crure diras arceat.
Roſas deinde calceis
Subiniicit latiſsimas,
Exiſtimes vt vaccei
Par eſſe grande ſtercoris.
Demum his onuſtus naniis
Lares relinquit patrios,
Vitamq́; cordialibus
Academicam ſuſpiriis
Optat, capeſsit, incipit.
Quid multa? talem ſe gerit,
Vt vel referre tædeat.
Non literis, non artibus
Operam nauat, ſed belluo
Noctes dieſq; perbibit,
Stertit, libroſque murium
Corroſioni ſubiicit.
Tandem vacuus nummulis,
Aegrotus in marſupio,
Multo domum reuertitur,
Quam quondam abhinc receſserat,
Effectus imperitior,
Hæc veritati congrua
Vel illud eſſe comprobet,
Quod forte nuper contigit.
Academiam ſubiuerat
Fors ruſticelli filius,
Et plurimum pecunia

Pro more ibi conſumſerat.
Tandem reuerſus ad patrem,
Vitaq; agreſtis immemor
Geſtus agebat ſplendidos.
Sumtus parens non immemor,
Quem filio ſuggeſſerat,
Examinare commodo
Illum volebat tempore,
Cum, ſtercorandis aruulis,
Fimis onuſtum redderet
Plauſtrum, rogabat filium;
Quali Latini nomine
Illud ſolerent dicere,
Quod tres haberet cuſpides,
Et quo fimum ſuſtolleret?
Mox ille: MISTGABELIVM.
Sed quomodo iſtud alterum,
Stercus reuellens funditus,
Geminoq; dente præditum?
Reſpondet ille: KARSTIVM.
O impudentem SCHELMIVM!
Parens ſubinfert illico,
Vix me ſceleſte, contines,
Quin huncce MISTGABELIVM,
Grandemq; ſumam KARSTIVM,
Tuumq; nequam SCHWARTIVM,
Craſſumq; SCHELMIRVCKIVM
Modis acerbis dedolem.
Vix eloqui deſiuerat,
Natum fimeto deſtinat,

Et, quem putarat Muſicum,
Nunc mandat eſſe ruſticum.

NOTÆ.

PLerique in eo Philoſophi, &, quicunque illis accenſentur, viri eruditi conſentiunt, ſcientias atque artes, homini nonnihil dignitatis adferre, ita vt ſæpenumero vltra humanitatis limites in Deorum beatorum choros eum referre poſſint. Hinc infinita illa & innumera ſcientiarum præconia, quibus quiſq; eas artes atq; diſciplinas, in quibus iam diuturno vſu animi ſui vires exercuit atque exacuit, non minus exculto, quam prolixo ſermone omnibus aliis conatur anteferre & vel ſupra ipſos cœlos attollere. Num recte ita ſentiant, nolo ego, viribus quippe impar, iudicare. Negat profectò Cornelius Agrippa, & ſtrenuè quidem negat. Nam (ait) prout artes & ſcientiæ illæ in alium atque alium incidunt, alios etiam atque alios effectus producunt. Si in malum quempiam inciderint, mirum niſi magis noxiæ fuerint illumque ex malo multo reddiderint deteriorem; vt peruerſum Grammaticum, vaniloquum Poëtã, mendacem hiſtoricum, rhetorem palponẽ, dialecticum litigioſum, ſophiſtam fallacem, laſciuum Muſicum, aſtronomum ſuperſtitioſum, phyſicum abſurdum, portentoſum Me-

I. Artium & ſcientiarum præſtantia.

Error Corn. Agrippæ.

taphyſicum, ethicum moroſum, iniquum Politicum, Iuridicum flexiloquum, Medicum ineptientem, Theologum ἐπρόδιξον & contentioſum. Quid multis? A primis ſtatim initiis, cum pueris infundi atque inſtillari cœperint, mores eorundem plerumque mutant in deterius, & cum nequam prius fuerint, multo deinde euadunt nequiores. Quod ſi etiam in non tam malum, ſed ſtultum aliquem incidant, nihil illo inſolentius ac inopportunũ magis: nam præter id, quod illi de cognata ſtultitia ſupereſt, tuetur illum doctrinæ autoritas, habetque literarum inſtrumenta, quibus ſuam defendat amentiam, quibus cæteri ſtulti carentes mitius inſaniunt, quemadmodum de Rhetore ait Plato: *Nam quo erit* (inquit) *ineptior atque indoctior, hoc plura narrabit, imitabitur omnia, nihilque indignum ſe putabit.* Nihil igitur exitialius, quam cum ratione inſanire, merito videri poteſt; atque adeo artes omnes atque ſcientiæ, cum deteriores plerunque ſectatores ſuos faciant, exterminari atque eliminari debent.

III. *Eius confutatio.* Errat autem Agrippa grandem errorem, & ignorat craſſa ignorantia. Quis enim vinum ob temulentiam meam culpet? Quis aurum propter furem? Quis enſem propter latronem? Non terra vinum eam ob

ob cauſam producit, vt iſto ad vomitum vſque me ingurgitem. Non aurum ideo in vſu eſt humano, vt fures faciat. Non enſis ideo efficitur, vt latronibus adiumento ſit. Sic nec artes ideo perdiſcuntur, vt nequitia eo maiori & acutiori ſolertia poſſit exerceri, ſed imo, vt iis mediantibus omnibus iſta è locis poſſit expelli atque arceri.

Quod iuuenes ſtudiis dediti aliis plerumque ſint petulantiores ac peiores, quis adeo amens, vt artibus illud adſignet? Nimirum IV. *Mores iuuenum ſtudioſorum quales.*

Imberbis iuuenis tandem cuſtode remoto
Gaudet equis, canibusque & aprici gramine campi:
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper.

Hi igitur defectus artium atque ſcientiarum adminiculo ſunt corrigendi, quandoquidem, Poeta teſte,

------ didiciſſe fideliter artes
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Et, Seneca ſuffragante,

Quo quisq; doctior, eo eſt humanior.

Verſa autem vice,

Quo quisq; indoctior, eo eſt impudentior.

Cæte-

Cæterum de moribus modernorum quorundam Scholarium vſitatis qui notitiam parare ſibi volet, ſubeat Amphitheatrum Ioco-ſerium Caſparis DornauI, in diſputatione de Natura Pennalium, vbi materiam ridendi largiſſimam inueniet.

V. *Superbia cumprimis ſtudioſo vitanda.*

Vitanda vero cumprimis eſt iuuentuti, literis & artibus deditæ, ſuperbia, de qua Franciſcus Petrarcha dialog. 41. de diſcipulo indocili ac ſuperbo, veriſſime aſſerit: *Superbia hoſtis ingenii eſt, dumq; ſubeſſe dedignatur, & diſcere negligit diſcipulus, inſolens ægre manum ferulæ ſubiiciet, doctrinæ animum, reprehenſionibus aurem, collum iugo. Nimirum ſicut tumor oculorum viſui, ita tumor animi ingenio nocet: vt diſciplinis aditus fiat, comprimenda eſt omnis elatio.* Qua de re eleganter etiam Ouid. *1.* Art.

Phillyrides puerum citharæ præfecit Achillem,
Atq; animos molli contudit arte feros.
Qui toties ſocios, toties exterruit hoſtes,
Creditur annoſum pertimuiſſe ſenem.
Quas Hector ſenſurus erat, poſcente magiſtro
Verberibus iuſſas præbuit ille manus.

Auſonii etiam conſilium locum reperiat, quod Eidyll. 5. ſuppeditat:

Diſce lubens, tetrici nec præceptoris habenas
Deteſtare nepos, nunquam horrida forma magiſtri,
Ille licet triſtis ſenio, nec voce ſerenus
Aſpera contractæ minitetur iurgia frontis,

Nun-

Nunquam immanis erit, placita aſſuetudine vultus
Qui ſemel imbuerit, rugas nutricis amabit,
Qui refugit matrem, pappos, auiasq; trementes
Anteferunt patribus ſeri noua cura nepotes,
Sic neque Peliden terrebat Achillea Chiron
Theſſalico permixtus equo, nec pinifer Atlas
Amphitryoniaden puerum, ſed blandus vterq;
Mitibus alloquiis teneros mulcebat alumnos.
Tu quoq; ne metuas, quãuis ſchola verbere multo
Increpet, & truculenta ſenex gerat ora magiſter.
Degeneres animos timor arguit: at tibi conſta
Intrepidus, nec te clamor, plagaq; ſonantes,
Nec matutinis agitet formido ſub horis,
Quod ſceptrũ vibrat ferulæ, quod multa ſupellex
Virgea, quod mollis ſcuticam prætexit aluta,
Quod feruent trepido ſubſellia veſtra tumultu.
Pompa loci, & vani fugiatur ſcena tumoris.

De ſcholarum vtilitatibus atque commodis, quin & ampliſſimæ & præſtantiſſimæ ſint, neminem puto eſſe qui dubitet, cum ad veram religionem conſeruandam, & ad poſteros propagandam, mores & vitam hominum probe informandam, & artium liberalium cognitionem comparandam maxime omnium inſeruiant. Certe qui ſcholas è mundo exterminandas ſtatuit, idem facit ac ſi ſolem cœlo deturbari iubeat. Vide de hac re Ioannem Althuſium Politic. cap. 9. them. 38. 39 40. Bartholomæum Keckermannum in

VI. Scholarum vtilitas maxima.

in Syſtemate Politic. Caſmannum in vita Politica, & Matth. Stephanum lib. vlt. de iuriſdictione.

ODA X.

In adulatores ac delatores.

NVCLEVS.

Adulator niger eſt: hunc tu caueto.

QVi vela venti turgida
Quocunque nouit tempore
Accommodare flatibus,
Et ex eodem frigidum
Calidumq; flare gutture,
Et ille ad hoc collegium
Nequiſsimorum pertinet.
Hunc ſi quis in conſortium
Suum receptet, illico
Illius appetitibus
Inſeruit atque nutibus,
Et ſub figura pharmaci
Lethale mulſum ſuggerit.
Rides; cachinnos excitat.
Ploras; gemit ſuſpiriis.
Sudas; calore diffluit.
Friges; rigeſcit frigore.

Dormi-

Hic victum amictumque aſſentando quæritat.



Dormire vis; iam ſomniat.
Furis; tumultus excitat.
Iraſceris; toruum videt.
Sermocinaris; cæteris
Altum imperat ſilentium.
Lætaris; inſtat plauſibus,

Quod ſi tuis inhæſerit
In pallijs puluiſculus,
Piluſue, vel quid ſordidum,
Manu reuellit, ſubdola
Barbamq; dextra vellicat.
Omnes colores ſuſcipit,
Solius albi neſcius
Coloris, atq; rubidi:
Semperq; ceu mutabilis
Reciprocat Chamæleon.
Si quid puſilli criminis
Commilito patrauerit,
Mox heri ad aures portitat,
Et, quam poteſt, conuitiis
Exaggerat grauiſſimis,
Cum millies ſceleſtior,
Furcaq; multo dignior,
Meritus ſit ipſe literam
Referre longiuſculam.
Heus, qui ſapis, Gnathonibus
Et aurium mulctoribus
Inuiſus iſtis abſtine,
Proculq; abactos vltimis
Iube exulare finibus.

NOTÆ.

1. *Aſſentatorum mores quales ſint.*

SIc mores ferunt aſſentatoris.
-----Rides? maiore cachinno
Concutitur: flet, ſi lacrymas conſpexit amici,

Nec dolet: igniculum brumæ ſi tempore poſcas,
Accipit Endromidem: ſi dixeris, æſtuo, ſudat.

[Iuuenalis Sat.3.]

Quid, quod adulandi gens prudentiſſima laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici,
Et longum inualidi collum ceruicibus æquat
Herculis, Antæum procul à tellure tenentis.
Miratur vocem anguſtam, qua deterius nec
Ille ſonat, quo mordetur gallina marito.

[Idem ibidem.]

Simile eſt Martialis Epigramma lib. *12.* in Pontilianum:

Mentiris, credo: recitas mala carmina, laudo:
Cantas, canto: bibis Pontiliane bibo.
Pedis, diſſimulo; gemma vis ludere, vincor:
Res vna eſt, ſine me quam facis, & taceo,
Nil tamen omnino præſtat mihi mortuus, inquis:
Accipiam bene te: nil volo, ſed morere.

Terentius in Eunucho ſuo ſic ſuas ipſius laudes decantantem inducit Gnathonem:

Omnia habeo, nec quicquam habeo: nihil cum eſt, nihil deſit tamen,
Eſt genus hominum, qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt,
Nec ſunt: hos ſector: hiſce ego non paro me, vt irrideant:
Sed his vltro arrideo, & eorum ingenia admiror ſimul.
Quicquid dicunt, laudo: id rurſum ſi negant, laudo id quoq;:

Negat quis,nego: ait,aio: poſtremo imperaui egomet mihi
Omnia aſſentari. Is quæſtus nunc eſt multo vberrimus.

Exemplum iſtiusmodi aſſentatoris exhibet fabula illa, quam Ioachimus Camerar. lib.fabul.p.98.recenſet.

Ægrotus enim quidam à medico ſuo interrogatus, quo pacto præteritam noctem peregiſſet? reſpondit,ſe admodum ſudaſſe. Hoc,inquit Medicus, bonum eſt. Poſtridie reuerſus,& ſimiliter percontatus ægrotantem audiuit, horrore fuiſſe ipſum vehementi concuſſum; Et hoc ipſum,Medicus inquit,bonum eſt. Tertio ſciſcitatus, quomodo haberet, cognouit, intercutem effuſam affligere hominem. Sed & hoc bonum eſſe dixit. Digreſſo Medico, acceſſit ex amicis vnus ægrotum, &, quid fit,inquit, & quo in loco ſunt res tuæ? Optimo,inquit ægrotus. Nam multitudine bonorum fere extinguor.

Epimydion fabulæ huius ab Hieronymo accipe,qui in epiſt.ad Ruſticum; *Ne credas,*inquit,*laudatoribus tuis,imo irriſoribus aurem ne libenter accommodes; qui, cum te adulationibus fouerint,& cum te impotem mentis effecerint,ſi ſubito reſpexeris,deprehendes poſt te colla incuruari, aut manu auriculas agitari aſini, aut æſtuantem canis protendi linguam.*

ODA

ODA XI.

In Sacrificulos, monachos, monialesq́;.

NVCLEVS.

Preces ſub lingua natæ irritæ.

SI non aberro, pectoris
Nec deuiat ſententia,
Monachos rudes, & cœlibes
Contenderem potiſſimum
Huc pertinere virgines;
Et quos ob imperitiam
Miſellulos fraterculos
Vocamus ignorantiæ,
Qui propter aſſuetudinem,
Longo frequentem tempore,
Aedes ſacratas viſitant,
Vt repleant ſedilia,
Vel muſſitantes inuicem
Linguæ Latinæ voculas
Inane murmur proferant;
Quod nec rudis plebeculæ
Phalanx, nec ipſi intelligunt.
Preces ab ore ſæpius
Effutiunt: at interim
Aut in popinis pectore

Hic ſermonem è caua profert olla.



Verſantur, aut in balneis,
Vel, quid rogarint, neſciunt:
Et ſcire, quaſo, quomodo
Vel mente poſsent aſſequi,
Cum nullus horum ſtipitum
Linguam Latinam nouerit.

At qualis efficacia
Poteſt precum eſſe talium,
Quas ore natas extimo
Fert corde lingua neſcio?
Sic qui receptant nummulos,
Vbi nulla eorum copia:
Et qui capillos vellicant,
Vbi intuentur obſitum
Lata caput caluedine:
Quiq; aucupantur gaudium,
Vbi corda mœror occupat:
Qui ſe paratos offerunt
Prius, ac rogantur: ſinguli
Hunc pertinent ad ordinem,
Qui concauis è vaſibus
Et teſtulis inanibus
Nouere verba promere.

NOTÆ.

PLus, inquit Auguſtinus, *placet Deo latratus canum, mugitus boum, grunnitus porcorum, quam cantus clericorum luxuriantium.* Etenim (quæſtio eſt Iſidori lib. 3. de ſumm. bon. cap. 8.) *Quid prodeſt ſtrepitus labiorum, vbi cor eſt mutum? Sicut enim vox ſine modulatione eſt quaſi vox porcorum, ſic oratio ſine deuotione, eſt quaſi mugitus boum.* Taleſque preces ſub lingua natę dicuntur, pectore illarum prorſus ignaro. Non ſecus, ac ſi quis ex olla vacua ſermones prome- 1. *Preces ſub lingua natæ.*

re auſit; quod Germani in prouerbio dicunt: Auß einem holen Hafen reden. Quemadmodum autem frumentorum granula, telluris tantummodo ſuperficiei iniecta, exareſcunt, nullumque fructum proferunt, niſi occando ſulcandoque ſubigantur ſoloq; condantur: Ita preces ſub lingua natæ, oreq; ſolo, inſcio corde, effutitæ, effectu carent, niſi ærumnarum miſeriarumque mole depreſſo pectore proficiſcantur.

Non, inquit Chryſoſtom. ſuper Matt. cap. 6. *voce clamoſa pulſandus eſt Deus, ſed conſcientia recta placandus; quia non eſt vocis, ſed cordis auditor.* Sic Iſidorus, quem paulo ante allegaui, eodem in loco: *Oratio cordis eſt, non labiorum: neq; enim verba deprecantis Deus intendit, ſed orantis cor adſpicit. Melius eſt, cum ſilentio orare corde ſine ſono vocis, quam ſolis verbis ſine intuitu mentis.*

II. *Precum deuotarum requiſita.* Precum autem deuotarum quænam requiſita ſint, breuiſſime docet Caſſiodorus ſuper Pſalm. 16. vbi ait: *Ipſius eſt oratio perfecta cuius & cauſa clamat & lingua, & actus, & ſermo, & vita, & cogitatio. Multum* ſcilicet (teſte Beda, de templo Salomonis) *iuuat orationis puritatem, ſi in omni loco vel tempore nos ab actibus temperemus illicitis: ſi ſemper ab otioſis ſermocinationibus auditum pariter caſtigamus & linguam: quæcunque enim ſæpius agere, loqui vel audire ſolemus, eadem neceſſe eſt ſæpius ad animum, quaſi ſolitam propriamque recurrant ſedem: & ſicut ſues volu-*

tabra ſiue paluſtria, columbæ limpida ſolent frequentare fluenta, ita cogitationes puram mentem immundæ perturbant, caſtam ſpirituales ſanctificant. In eundem ſenſum eſt epigramma meum, quod addo:

Sit perſona tibi triplex bene nota roganti,
Deuoto quoties fundis ab ore preces.
Prima ſit hæc, ad quam pia vota feruntur, & ille eſt,
Qui freta, qui terras, qui regit aſtra, Deus.
Altera mox, à qua pia vota feruntur, & ille eſt,
In Chriſtum fidei robore nixus homo.
Tertia ſit, per quam pia vota feruntur, & ille
Eſt interceſſor Chriſtus homo atq; Deus.

Audoenus, Martialis meus, vno diſticho omnia comprehendit:

Sit purum pectus, domus oratoria, lector
Spiritus, & mundum cor, manuale precum.

ODA XII.

In exaggeratores cenſoreſq; immodicos delictorum.

NVCLEVS.

Camarina non mouenda.

Vix abſolutum colligi
Nequam poteſt conſortium,

Hic merdam cribrando mouet.



Si non huic acceſſerit
Conglutinatus ordini,
Qui ſcit laborioſius
Merdam mouere ſordidam,
Colare, cribro ſubdere,
Mox perforare, pungere,
Modiſq; mille vellere,

Atq; his odorem motibus
Creare fœtidiſsimum.
Hic, quæ vetuſtus tabida
Vel ante centum ſecula
Obliuioni tradidit,
Et iamdiu longiſsima
Deleuerit præſcriptio,
Orco reducit infimo.
At poſteaquam ſtercoris
Fœtor per omnes iuerit
Hinc angulos, & peruio
Nares odore impleuerit,
Tunc callidis argutiis
Se litibus ſubducere
Nouit, velut qui turbidam
Non reddidiſset guttulam,
Et crebrius nil quam ſuam
Allegat innocentiam:
Cum nequiorem vix tamen
Reperire poſsis alterum,
Ardente quamuis lampade
Inſtructus eſses præuia,
Denasq; per prouincias
Inquireres ampliſsimas.
At, quæſo, quorſum conuenit
Hæc ſtercoris commotio
Merdæq; vellicatio?
Cur priſca, nequam furcifer,
Nobis reuoluis crimina,
Cum tanta ſit recentium

Transgreſſionum copia?
Si ſunt in orbe ſingula
Hoc iudicanda crimina,
Hoc punienda crimina,
Quorſum tribunal vltimum
Summiq; laudum iudicis,
Quo proferentur omnia,
Quæ longa quondam obliuio
Occulta ſepeliuerat?

NOTÆ.

I. *Camarinã mouere quid ſit.*

TAlem Camarinam mouent, qui diu obliuione extincta denuo in apricum proferunt, miriſque artibus exaggerant, nullam aliam ob cauſam, quam vt nouas tragœdias, nouoſque tumultus excitent. Si quos forte inimicos in gratiam redire vident, mox paleas, pilos, ſulphur igni, qui extinctus iam videbatur, adhibent, calumniæque flabro tantas de nouo flammas cauſantur, quibus ſedandis nec Oceanus ſufficeret.

De his Plautus in Sticho;

Sed curioſi hic ſunt quamplures mali,
Alienas res qui curant ſtudio maximo:
Quibus ipſis nulla eſt res, quam procurent, ſua.

Terentius in Heautont. hanc peruerſitatem ſecum admirans, alta voce exclamat:

Dii

Dii veſtram fidem? itane comparatam eſſe hominum naturam omnium,
Aliena melius vt videant, & iudicent, quam ſua.

Horat. *1*. Serm. 3.

——*Egomet mî ignoſco, Mauius inquit,*
Stultus & improbus hic amor eſt, dignusq́; notari,
Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila, aut ſerpens Epidaurius.

At notatu dignum eſt vetus Adagium, quod habet Valerius Maximus: *Μὴ μνησικακήσεις. Ne memineris malorum.* Sic qui olim obliterari memoriam malorum iubebant, illud Homeri vſurpabant. II. *Aliqua mala ſunt tegenda.*

Τὰ δὲ πάντα θεοὶ μεταμώλια θεῖεν,
Irrita Dî ſuperi ventis hæc omnia tradant.

Nam quæ, malum, eſt inſania, ea, quæ iamdudum ſopita atque obliterata ſunt, mala, denuo iterum in apricum producere? quam vero vtilitatem affert? Si quis ſordes in cloaca deliteſcentes, commouere baculoque aut alio inſtrumento hinc inde atque ex imo quaſi fundo proturbare auſit, quid aliud aget, quam quod fœtorem excitabit longe grauiorem atque abominabiliorem? Apage igitur mihi ſint nebulones iſti ſtercorarii, quibus id volupe eſt, vt aliorum delicta iamdiu obliuione ſepulta, ex intimis quaſi terræ abyſſis eruant atq́; eradant; digni medius-fidius, *Sunt verba Mureti.*

qui in cloca, à ſe commota, fœtore ſuffocati vitam finiant.

ODA XIIV.

In eos, qui aures demulcendas ſibi porrigunt.

NVCLEVS.

Vterq; nequam, & qui adulatur, & qui adulatione delectatur.

QVi vellicandas porrigit
Aures adulatoribus,
Circumq́; circa naribus
Tractus, retractus, ducitur,
Næ mentis impos eſt ſuæ,
Stultoq́; quouis ſtultior.
Qui vellicandas arripit
Aures dolo conſutili,
Circumq́; circa naribus
Tractum, retractum, ductitat,
Næ mentis impos candidæ,
Et fure quouis nequior.
Quis damna, quis pericula,
Venena quis lethalia
Retexat ore ſingula,
Quæ palpo dat verſatilis?

At

Hic aures demulcet.



At nunc ita vſus obtinet:
Odioſa ſordet veritas:
Fallax amicos plurimos
Acquirit aſſentatio,
Et aurium demulſio.
Hac peſtis aulas principum
Praeoccupat potiſſimum,

Quas

Quas hi palatini canes
Tantis dolis coinquinant;
Fuciſq; tam ſubtiliter
Effabricatis obruunt,
Vt exulare candida
Cogatur inde veritas.
Nec mira res eſt admodum;
Cum principum pars maxima
Plerumq; prurientium
Sit aurium tam prodiga,
Vt vellicandas ſuauiter
Aures vtraſq; porrigant,
Laudeſq; plus Gnathonicas
Quam veritatem diligant:
Horum deinde ſubditi
Fiunt furoris æmuli,
Et quiſq; de viliſsima
Natus licet plebecula
Aures ſuas palponibus
Vafriſq; adulatoribus
Late trahendas commodat,
Ne, blanda vellicatio
Si deforet diutius,
Vel diffluant torpedine,
Vel concidant marcedine.
Tu cautior, qui plurima
Vitare vis pericula,
Arce Gnathones auribus,
Arce Gnathones ædibus.

NOTÆ.

QVi tantopere adulationibus & palpamentis delectantur, næ illi non ſunt homines, ſed ſimiæ, quibus ſummum volupe eſt, laudari. Vere ſimii, imo inſani! *Quid* enim (Alanus de complanctu naturæ) aliud eſt *adulationis vnctio, niſi donorum emunctio? Quid commendationis alluſio, niſi prælatorum deluſio? Quid laudis arriſio, niſi eorundem deriſio?* [Alexãder Magnus, cum in obſidione cuiuſdam vrbis circuiſſet muros, ictu ſagittæ percuſſus, cum repreſſo ſanguine ſicci vulneris dolor creſceret, & crus obſtupuiſſet, coactus abſiſtere; *Omnes*, inquit, *me filium eſſe iurant Iouis, ſed vulnus hoc hominem me eſſe clamat.* Idem nos faciamus dicamuſq;: *Vos quidem dicitis me eſſe prudentem, ego autem video, quam multa inutilia concupiſcam, nocitura optem.* Hæc Senecæ ſunt verba epiſt. 60. ad Lucil.]

Adulationis deſcriptio.

De Sigiſmundo Imperatore Aeneas Syluius lib. 1. comment. de rebus geſtis Alphonſi, narrat, Vatiniano ipſum adulatores odio proſecutum fuiſſe. Cumq; aliquando aſſentator quidam ſupra modum eum laudaſſet, Diiſque ſimilem eſſe dixiſſet, alapas aliquot grandes ei impegit. De quibus cum ille lamẽtabundus quereretur, rogaretq;: *Cur me cædis, Imperator? Cur me*, inquit Sigiſmundus, *mordes, adulator?*

Sic Bion, eos qui auſcultarent adulatoribus, dicebat eſſe ſimiles amphoris, quæ auribus circumaguntur; referente Eraſmo 8. Apophth. ex Plutarcho.

Diogenis adagium erat: Κρεῖττον ἐμπεσεῖν εἰς κόρακας, ἢ εἰς κόλακας. *Tutius eſt, incidere in coruos, quam in adulatores.* In quem ſenſum eſt epigramma Iacobi Billii, in Anthologia ſacra:

Non inter cicures palpone nocentior vlla eſt
Bellua, nec quæ plus gignat in orbe mali.
Vix etenim eſt vllus, cui non per verba propinet,
Quæ mage ſint ipſo dulcia melle, necem.
Ac licet extincto coruus ſe corpore paſcat:
Corporibus viuis abſtinet ille tamen.
Sæuior at contra palpo nece parcit ademtis:
At viuos blandis morſibus vſq; petit.

Alan. de complanctu natur. *Huius peſtis peſtilentia percutiunt principum laterales, palatini canes, adulationis artifices, fabri laudis, figuli falſitatis. Hi ſunt, qui magniloqua commendationis tuba in diuitum auribus citharizant, qui medicæ adulationis fauos foras eructant, qui, vt emungant munera, caput diuitis oleo adulationis inungunt, prælatorum auribus puluinaria laudum ſubiiciunt, qui ab eorum palliis, aut fictitium puluerem excutiunt, aut veſtem fictitie deplumant implumem.*

Eadem prorſus Caſſiodorus de eodem vitio tradit. *Adulatio*, inquit, *blanda omnibus applaudit, omnibus ſalue dicit, prodigos vocat liberales: auaros, parcos & ſapientes: laſciuos, curiales; garrulos,*

los, affabiles: obſtinatos, conſtantes: pigros, maturos & graues. Hæc ſagitta leuiter volat, & cito infigitur.

Qui plura hac de re cupis lege Theophraſt. de notis aſſentatorum. Vbi multa, quæ riſum tibi mouebunt.

Magnates & Principes aduerſus iſtud adulationis venenum, Homericum illud, tanquam pharmacon quoddam, in promtu ſemper habeant:

οὔτοι ἐγὼ θεός εἰμι, τί μ᾽ ἀθανάτοισιν ἐΐσκεις;

Nullum ego ſum numen, quid me immortalibus æquas?

Inferioris fortunæ homines illud Ciceronis lib. 1 Offic. *Cauendum, ne aſſentatoribus patefaciamus aures, & ne adulari nos ſinamus, in quo falli facile eſt. Tales enim nos eſſe putamus, vt iure laudemur: ex quo naſcuntur innumerabilia peccata.* *Intus*, inquit Seneca epiſt. 77. *te ipſum conſidera, non, qualis ſis, aliis credas.*

ODA XIV.

In calumniatores atq; obtrectatores.

NVCLEVS.

Omnia ſi perdas, famam ſeruare memento,
Qua ſemel amiſſa poſtea nullus eris.

A*Cerba vulgo nummuli,*
Multoq; adhuc acerbior,

Iactura vitæ creditur.
At nominis ſi læſio
Famæq́ diminutio
His comparetur, paruuli
Referre vix puluiſculi
Poterunt vel vnum granulum.
Quin ipſa famam nominis
Et iura vitæ præferunt,
Multoq́ pluris æſtimant.
Sed hiſce non obſtantibus
Tam nunc ſceleſta plurium
Nequam viget peruerſitas,
Et nauſeanda prauitas,
Vt quosq́ candidiſſimos
Viros, eoſdemq́ optimos
Conuitiis turpiſſimis,
Telisq́ linguæ peſſimis
Non erubeſcant pungere;
At quoſq́ contra peſſimos
Nequam celebrioribus
Ad aſtra tollant laudibus.
O prauitatem ſeculi!
O irrigandam plurimis
Peruerſitatem fletibus!
Præſentis ô deterrimam
Aetatis inſolentiam!
Quæ de caprina lanula
Aliisue cauſis friuolis
In proximum grauiſſimis
Armata probris, detonat.

O vi-

Hic vnus eſt è circumforaneorum grege.



O viperas diriſſimas,
Caneſq; liuidiſſimos,
Digniſſimos, quos deſuper
Fœtens matella proluat!
Candoris at tute appetens
Ne pende vili nominis
Exiſtimatiunculam;

Quamuiſq; perdas omnia,
Domos, agellos, prædia,
Pecunias: famam tamen
Seruare ſemper integram
Summis ſtude laboribus,
Namq; hac ſemel deperdita
Perdes miſellus omnia,
Erisq; nullus poſtea.

NOTÆ.

I. *Calumnia & detractio quantum vitium.*

EIuſdem prorſus cum hac ſummulæ erat oda IV. ad quam vide quæ adnotaui. Nimirum vti quiſque eſt nequiſſimus, ita alios etiam veluti ſui ſimiles traducit. Quemadmodum igitur non laus eſt, niſi à viro laudato lauderis, ita nec vituperium eſt, quod à nebulone in virum bonum euomitur. Belle admodum Seneca de remed. fortun. *Male,* inquit, *de te opinantur homines, ſed mali. Mouerer, ſi me Marius, ſi Cato, ſi Lælius ſapiens, ſi alter Cato ſi Scipiones duo iſta loquerentur: mouerer, ſi hoc iudicio facerent, quod nunc morbo faciunt.* Etenim, vt Comicus Græcus ait,

ἤθους δικαίου φαῦλος οὐ ψαύει λόγος.
Attingere probos verba non queunt mala.

Et dic quæſo; *Si quis ſolem tenebrarum authorem æſtimet, ſoline an ſibi detraxit? Sibi videlicet ipſi, cum furioſi & inſanientis opinionem ſequatur. Eodem profecto modo, qui prauos bonos eſſe putant, & è contrario ſe ipſos vituperant.*

Bonæ

Bonæ profecto famæ apprime eſſe ſtudendum, authores monent. Seneca de remed. fort.

Bona, inquit, opinio hominum tutior eſt pecunia. Bonum eſt, quod ſupprimitur, nequaquam extinguitur: bona fama in tenebris proprium ſplendorem tenet. Idem in Prou. *Honeſtus rumor alterum eſt patrimonium.* II. *Bona fama præſtantior diuitiis.*

Ouid. 2. Faſtor.

Fama manet facti, poſito velamine currunt,
Et memorem famam, qui bene geſſit, habet.

Salomon etiam, rex ſub ſole ſapientiſſimus, idem approbat Prouerb. 22. *Melius eſt nomen bonum, quam diuitiæ multæ: ſuper argentum enim & aurum gratia bona.* Et Iſidorus in ſynonymis ſoliloquiorum lib. 2. cap. 27. *Diſce bono flagrare præconio. Cuſtodi bonam famam tuam.* Plaut. Moſtellaria:

Ego ſi bonam famam mihi ſeruaſſo, ſat ero diues.

Ouid. lib. 3. Pont. eleg. 2.

Corpora debentur mœſtis exanguia buſtis,
Effugiunt ſtructos nomen honoſque rogos.
Occidit & Theſeus, & qui tumulauit Oreſtem:
Sed tamen in laudes viuit vterque ſuas.

ODA XV.

In eos, qui pecunia & muneribus corrumpuntur.

NVCLEVS.

Bos in lingua.

ADeſte nunc famelici,
Quos appetitus aureus,
Fameſq́; quos argentea,
Sitiuè nummularia
Sua inficit cupidine:
Laudes quibus, conuitia,
Ius, fas, nefasq́;, munia,
Et cuncta ſunt venalia:
Qui, cum fere nequiſſimi
Sint, quos ſolum fert, omnium
Et vlla, quamuis peſſima,
Non erubeſcant crimina
Auſu patrare perfido,
Lucem verentes ſplendidam,
Poſt terga retro clanculum
Acceptilant pecuniam,
Tam callidis verſutiis,
Et ſubdolis aſtutiis,
Illos vt eſſe deieres
Pulcerrimos & optimos.

Hic retro capit pecuniam.



Ciuilitatis æmulos,
Vt qui recuſent præbita
Opis ferendæ gratia
Clientulorum præmia.
At ſi retracta paululum
Conſpexerint munuſcula,
Mox acriores flagitant,

Et ceu rapaces milui
Suis prehendunt vnguibus.
At hæc lues potiſſimum
Contagioſa iudices
Noſtri ſubintrat ſeculi,
Queis hos recludit ſpiritum,
Ne veritati congruam
Pronuncient ſententiam,
Lucriq; turpis gratia
Album nigellum dictitant,
Obliqua recta iudicant,
Et iura turbant omnia.
Vbiq; vincit ſcilicet
Immenſa nummi autoritas,
Pecuniæq; copia;
Caſtrumq; inexpugnabile
Non eſt, modo id contingere
Haſtæ queant argenteæ,
Aſinusq; multo ſcandere
Onuſtus auri pondere.

NOTÆ.

I. *Pecunia quanta vis.* VEtus, ſed verum eſt adagium: *Pecuniæ obediunt omnia.* Græcorum eodem tendit: χρήματα ἀνήρ. *Pecunia vir.* Nimirum, quod Horatius aſſerit,

——*Vxorem cum dote, fidemq; & amicos,*
Et genus, & formam regina pecunia donat.

His ὁμόψηφοι ſunt verſus illi iambici ſenarii ex Bellerophonte Euripidis:

Sine

Sine me vocari peſſimum, vt diues vocer.
Nemo, an bonus: an diues, omnes quærimus.
Non quare, & vnde? quid habeas, tantum rogant.
Vbiq; tanti quiſq;, quantum habuit, fuit:
Quid habere nobis turpe ſit quæris? Nihil:
An diues, quærimus omnes, nemo an bonus.
Aut diues opto viuere, aut pauper mori.
Bene moritur, quisquis moritur, dum lucrum facit.
Pecunia ingens generis humani bonum.

Virgilius lib.3. Aeneidos:

---- Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Horatius ex 2.ſerm. Satyr.3.

---- Omnis enim res
Virtus, fama, decus, diuina humanaq; pulcris
Diuitiis parent: quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, iuſtus, ſapiens, etiam & rex,
Et quicquid volet.

Propertius:

Aurum omnes victa iam pietate colunt.
Auro pulſa fides, auro venalia iura:
Aurum lex ſequitur: mox ſine lege pudor.

Iacobus Philomuſus Poeta:

Aurum deſtructor vitæ, princepſq; malorum,
O quam difficiles nectis vbiq; dolos?
O vtinam natum nunquam mortalibus eſſes,
Dulcia ſuppeditas quæ nocumenta viris!

Te propter pugnæ fiunt, & bella mouentur,
Ad prædam & cædes corpora noſtra trahis.
Tu facis, ingratus patrem quod filius odit:
Inter & agnatos iurgia ſæpe moues.
Proſternis gentes, & totum deſtruis orbem,
Nulla fides hominis te duce ſtare poteſt.

Flaccus:

Aurum per medios ire ſatellites,
Et perrumpere amat caſtra potentius
Ferro.

De iudice pecunia & muneribus corrupto vulgo; Ἀργυράγχην πάσχει. *Argentanginam patitur.* Item: *Bos in lingua.*

De iſtiuſmodi peruerſis iudicibus, qui corrupti muneribus ſuffragia iniqua ferunt, aut per tyrannidem innocuos opprimunt, & Homerus Iliad. π.

Οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας,
οἱ δὲ δίκην ἐλάσωσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες.
Qui per vim in populi cœtu communia iura
Deprauant, ac iuſtitiam depellere tentant,
Nil veriti vocem Diuum.

At hos imitari potius decebat Anacreontem, qui, cum à Polycrate tyranno quinque talentorum acceperat munus, inſomnes duas ducebat noctes, indeque cogitatione ſolicitus, reddidit ea, dicens: *Non tanti ea ſibi eſſe, vt tanta cura vexari vellet.*

ODA XVI.

In viros duplices.

NVCLEVS.

Vir duplex duplex malum.

NVnc in theatrum duplici
Ducemus ore præditum,
Iſtique nequam commoda
De ſede prouidebimus;
Quam pone falſos iudices,
Et inſtitores ſubdolos,
Iure occupabit optimo,
Cum dirigat mutabile
Ad flabra venti pallium,
Talis figura iudicis
Depingitur nequiſsimi,
Qui forte currum acceperat,
Ex ruſticelli munere,
Vt largienti diceret
Accommodam ſententiam:
A parte ſed contraria
Corruptus idem poſtea
Præſtantiori munere,
Equis duobus ſcilicet,
Opimitate ſplendidis,
In ruſticellum protulit
Trifurcifer ſententiam,

At

Hic egregiam ſe lanam ducere ſimulat.



At ille queſtus plurimum
Triſtis rogabat, eccubi
Currus ſuus remanſerit;
Cui, Barde, iudex; quid rogas?
Equis abactus pectore
Dudum receſsit è meo.

Tales

Tales adhuc quamplurimi
In orbe dantur iudices,
Qui ſeſe vtriuſq; ſerio
Fingunt fauere partibus,
Cum nil volutent pectore,
Quam fraude furem peſsimum,
Et pelle nequam maximum
Turpiſsima circumferant.
Sic inſtitores perfidi
His moribus ſunt præditi:
Emturientes vilius
Diuendituri carius
Plerumq; merces æſtimant,
Tantisq; miſcent fraudibus,
Vt ventilatæ maximis
Mendaciorum flatibus
Trabes fragore contremant.
Nil orbe toto ſcilicet
Hoc inuenitur tempore,
Expers quod eſſet fraudium,
Sed ſceptra vbiq; regia
Vulpina pellis obtinet.

NOTÆ.

DE viris duplicibus vide quæ ſupra ad odam 6. attuli. Nam ſimilis hæc cum illa eſt farinæ. De iudicibus etiam & iuriſperitis, ſub hoc nequitiæ vexillo ſtrenue militantibus, vide, quæ itidem ſupra ad odam 3. adnotaui. I. *Viri duplices qui.*

De

II. *Inſtitorum & mercatorum indoles.* De inſtitoribus mercatoribuſque Auguſtinus lib.13.de Ciuit.Dei, cap. 2. ait: *Omnes volunt viliter emere, & care vendere.* Quos eorundem mores & Horatius l. 2. epiſt. ad Iulium Florum perſtringit:

——Plenius æquo
Laudat venales, qui vult extrudere, merces.

Par ſimilitudinum elegans de inſtitorum moribus habet Chryſoſtomus, quas non poſſum non ſubdere. Prior eſt in Homil. 38. in 21.cap. Matth. *Quemadmodum qui ambulat inter duos inimicos, ambobus placere volens, & ſe commendare, ſine maliloquio non poteſt; neceſſe eſt enim, vt & iſti male loquatur de illo, & illi male loquatur de iſto: Sic qui emit & vendit, ſine mendacio eſſe non poteſt & periurio: neceſſe eſt enim, vt negotiatoribus hic iuret, quia non tantum valet res, quanto comparet eam: & ille iuret, quia plus valet res, quam vendit.* Poſterior ibidem: *Quemadmodum, ſi triticum, aut aliquam bladi ſpeciem in cribro, dum huc illucq; iactas id, grana omnia paulatim deorſum cadunt, & in fine in cribro nihil remanet, niſi ſtercus ſolum: Sic & ſubſtantia negotiatorum, dum vendunt & veneunt, inter emtionem & venditionem minuitur, & in nouiſſimo nihil illis remanet, niſi peccatum.* Vide etiam, quæ infrà ad Odam 26. adnotabimus, vbi plura de iniquitatibus & fallaciis mercatorum reperies.

ODA XVII.

In Paraſitaſtros & amicos ollares.

NVCLEVS.

Alieno corio ludere facile.

SVnt, quos iuuat pinguedine
Orbes nitentes lingere,
Altisq; quadris, muſculi
Furacis inſtar, viuere,
Propriisq; nummis parcere,
Quos ollularum aruſpices
Non abſq; cauſa dixeris;
Quod mos ſit illis ollulas
Famelicis diſquirere,
Atrumq; ſorptum ſordido
Vorare panem iuſculo,
Aquamq́; dicere optimam,
Manibus lauandis præbitam,
Quod hæc paratam ſcilicet
Declaret eſſe cœnulam.
Hi carnis aſſæ ſi uſtulum
Per dena millaria
Suis odorant naribus
Auidaq; fauce glutiunt.

At

Hic ollam ſequitur atque cibum.



At cum iubentur debitos
Numerare nummos hoſpiti,
Nequam caput ſub menſula
Ceu dormientes occulunt,
Velutq́; profundiſsimo
Sopore preſsi, gutture
Ronchos ab imo maximos

Late-ſonori ductitant,
Nulliſq; poſſunt erigi
Tumultuationibus,
Aut vellicationibus:
Tam ſuaue nequam dormiunt!
At ſi vel vno verbulo
Solutionem ſpondeas,
Audaciores redditi
Caput ſceleſtum proferunt,
Vagoſq; confidentius
Hinc inde ocellos miſſitant.
Quid obſtat ergo, quo minus
Lubens & hos in ordinem
Nequam receptos collocem?

NOTÆ.

GEnuino profecto hos nomine Græci παρασίτους appellitant, quod ſemper aliorum culinam ciboſque ſectentur, & murium inſtar ſemper alienũ rodant cibum. Sic enim Paraſitus quidam apud Plautum in Captiu. de ſe ſuique ſimilibus: *Quaſi mures ſemper edimus alienum cibum.* I. *Paraſiti qui.*

Ἀλλοτριοφάγοι etiam vocantur, quibus dulce eſt aliena viuere quadra. Quin & ab iiſdem Græcis prouerbiali verbo μυσπολεῖν dicuntur, quaſi qui muris in morem cibi cauſa obambulent oberrentque, laboris omnino omnis & exercitationis impatientes. Quemadmo-

dum enim vultures triduo futura cadauera præſentiunt,eoque aduolant; ita hi per longa locorum interualla cibos dapeſque naribus ſagacibus odorant, greſſibuſque concitatis ad illas aduolant.

Nundinis nuperis Francofurtenſibus memini me vidiſſe circumforaneum ſeu præſtigiatorem quendam, vrſum ſecum deducentem,quem lõgo aſſuetum tempore ita informarat, vt velut conuiua aut hoſpes ſellulæ cuipiam tanquam menſæ aſſideret: à quo cum iſte ſymboli ſolutionem exegiſſet, vrſus, profundo quaſi ſomno depreſſus,caput ſubter menſam occultabat, &, grandibus licet verberibus impetitus, eo àdduci nequibat,vt expergiſceretur. Prolatis autem à circumforaneo, tacitoque murmure expreſſis verbis, quibus immunitatem à Symboli ſolutione dormitanti pollicitabatur, vrſus veluti rediuiuus è ſopore aſſurgens caput lætus circumferebat, liberalitatique quaſi gratias agebat.

Tanta ſcilicet vitii huius eſt frequentia, vt circulatores etiam, tonſores & funambuli iſtud taxent,atque in vrſo, animali iſto apprime monſtrôſo,fœditatem iſtius ob oculos nobis ponant. Sed apage mihi ſit ab honeſtis compotatiunculis iſta quorundam ſordida tenacitas, quibus volupe eſt, alienis ex loculis genio ſuo indulgere, & ſemper ἀσυμ-

βόλους

βίλους eſſe. Apage, inquam, ſint iſti: cum
Commodius portetur onus, quod pondere nutat
Æquo, & pari conſiſtit æquilibrio.

ODA XIIX.

In eos, qui ſcandala iuuentuti exhibent.

NVCLEVS.

Scandala ſunt vitanda.

TAm nunc iuuentus omnibus
Sceleſta turget fraudibus,
Vitaq́; turpitudine,
Vt non opus ſit pluribus
Vel inſtitutionibus,
Vel incitationibus,
Quibus, velut calcaribus,
Ad omne morum dedecus
Prono ferantur impetu.
Iſtud profecto dixerim,
Certoq́; comprobauerim,
Hunc qui iuuentam turpia
Velit docere crimina,
Et exhibere ſcandala,
Veſti pediclos ſordidæ,
Mœnoq́; lymphas addere,

Hic pediculos veſti pelliceæ addit.



Puella, quæ decennium
Vix nata, multo nequior
Nunc eſt, vetus quam fœmina,
Annisq; multis obſita.
Puerq;, qui decennium
Vix natus, is ſceleſtior
Eſt, quam tremens ſenecio,

An-

Anniſq; multis obſitus.
Tanta iuuentus ad malum
Velocitate curſitat!
Tanta iuuentus ad bonum
Tardatione reptitat!
Atqui parentes plurimi
Tam ſeſe honeſtitudinis
Obliuioſos exhibent,
Vt ſcandaloſa liberis
Exempla dent quamplurima,
Non verbulis ſolummodo,
Factis ſed obſcœniſſimis,
Turpiſſimiſq; geſtibus
Ad impudicos incitent
Actus, velutq; ductitent,
Cum tempus ipſum ſit tamen
Rerum magiſter omnium,
Tandemq; fontes indicent,
Vnde extrahant infantulos;
Cauſamq; monſtret, ſuccuba
Cur inſidentem tergori,
Et vellicantem criſtulas,
Gallina gallum portitet.

NOTÆ.

VT gypſum aut argilla, dum eſt vda, in quamuis imaginem facile ſequitur fingentis manum: ita rudes iuuentutis animi facile in quamcunque, facilius autem, in de- I. *Pueri à teneris ſtatim vnguiculis ad bonum*

 terio-

ſunt informandi. teriorem partem, flectuntur. Nam, vt Ambroſius lib. 1. de viduis ait; *Vicina eſt lapſibus adoleſcentia. Quia variarum æſtus cupiditatum feruore calentis inflammatur ætatis.* Mature igitur pueri à vitiis ſunt arcendi, & ad virtutum ſtudia adigendi; nec vel verbulo vel geſtu remora ſcandalumue ipſis exhibendum. Quemadmodum enim ſulphur ſubito ignem concipit: ita iuuentus facile ad omnis generis crimina perpetranda inflammatur.

Virgilii potius conſilio locus dandus, qui 3. Georg. lib. tale ſuggerit:

Tu quos ad ſtudium, atque vſum formabis agreſtem,
Iam vitulos hortare, viamq́; inſiſte domandi,
Dum faciles animi iuuenum, dum mobilis ætas.

Sic Horat. 3. Carm. 24.

—— Et teneræ nimis
Mentes aſperioribus
Formandæ ſtudiis.

Idem 1. Epiſt. 2.

Fingit equum tenera docilem ceruice magiſter
Ire viam, quam monſtrat eques: venaticus ex quo
Tempore ceruinam pellem latrauit in aula,
Militat in ſyluis catulus, nunc imbibe puro
Pectore verba, puer, nunc te melioribus offer.
Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem
Teſta diu.

Sene-

Seneca Oct.

Regenda magis eſt feruida adoleſcentia.

Deniq; Comicus Græcus:

Νέος πεφυκὼς πολλὰ χρηστὰ μανθάνει.

Annis iuuenta multa diſcito bona.

Iuuenalis Sat. 14.

Nil dictu fœdum viſuq; hæc limina tangat,
Intra quæ puer eſt: procul hinc procul ite puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis paraſiti.
Maxima debetur puero reuerentia, ſi quid
Turpe paras, nec tu pueri contemſeris annos,
Sed peccaturo obſiſtat tibi filius infans.

II. *Conſuetudo quorundam locorum peſſima.*

Verum deploranda quorundam locorum, ciuitatum præſertim, reſtat impia conſuetudo, in quibus publica lupanaria, non dicam, tolerantur, ſed conſeruantur, & patronos habent acerrimos: Imo quibus publica theatra, immunitates & ſtipendia conceſſa ſunt. Idque calua atque impiæ penitus ratiuncula, contra diuinas leges ipſumque Dei verbum è diametro pugnante; Vt nimirum, inquiunt, iuuentus egeſto illic libidinis impetu peiora conari deſiſtat. Sed ô ſcelus conſuetudinis inexpiabile! Hoccine eſt remouere ſcandala? Vide hac de re diſſerentem Cornelium Agrippam de arte meretricia & lenonia.

Tu, quicunq; ſapis,

Principiis obſta, ſero medicina paratur,
Cum mala per longas inualuere moras:

Cumprimis vero fuge ſcandala. Illæ namq;

calamitatum malorumq; omnium ſeminaria ſunt, ac vitiorum fomenta: nam, vt Philoſophi aiunt, *paruus error in principio, maximus in extremo eſſe conſueuit*; & exigua ſcandali alicuius exhibitio maximum ſæpe peccatum producit. Noui nobilem, qui ſequens ſymbolon inſignibus ſuis inſcriptum vſurpabat: *Ex parua flamma magnus ignis.* Vere profectò! Parua ſcilicet ſcandali ſcintilla ſæpenumero maximum calamitatum infelicitatumque excitare ſolet incendium, quod vt in fauillis adhuc reſtinguas, bis terq; moneo.

ODA XIX.

In futiles rimarumq; plenas aniculas.

NVCLEVS.

Quem diabolus veretur, anus adit locum.

SI non aberro, Cerberum
Vix futilis, loquacula,
Plenaq; rimis fœmina
Malignitatem cenſeo
Aequare poſſe peſſimam.
Hac ade ſi fors prodeat,
Omnes pererrat angulos,
Sibiq; quærit garrula

Di-

Par hoc eſt anicularum garrularum.



Dicacitate comparem.
Quam nacta prolixiſsimam
Orditur ore fabulam,
Telamq́; texit maximam:
Quid Imperator egerit;
Quid Pontifex ſanciuerit;
Quid Principes decreuerint;

Quid præco verbi nuperâ
Pro concione dixerit;
Vt appetentes fœnoris
Taxarit vſurarios,
Alioſue reprehenderit;
Quoties maritus proximâ
De nocte ſe ſubegerit;
Veſtes quot & ſubuculas
Sartor ſibi confecerit;
Et quid noui rumuſculi
In balneis audiuerit;
Quid murmurando Iupiter
Iunoni in aurem dixerit;
Hæc illa nouit omnia,
Hæc illa fatur omnia,
Mendaciisq; plurima
Conglutinat mendacia,
Fraudesq; nectit fraudibus:
Probris deinde candidos
Conuitiatur peßimis,
Nullisq; quamuis optimis
Parcit ſceleſta mentibus,
Sed ore ſemper liuidum
Enſem nociuo geſtitat.
O digna, cuius maximis,
Vagina pugnis vapulet!

NOTÆ.

NOTÆ.

GArrulitas hic non ſolum anicularum, ſed & aliorum omnium iure taxatur. Et id quidem merito. Nam, vti ait Euripides, I. *Garrulitatis vitium turpe.*

Ἀχαλίνων στομάτων τὸ τέλος δυστυχία.

Finis loquacitatis infortunium.

Sed & circumuagationes & diſcurſationes honeſtas mulieres omnino dedecent. II. *Diſcurſationes an mulieres deceant.* *Vxor*, inquit Pſaltes 127. Pſ. *tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* Solent quidem aliquibus in locis vites in foribus domorum collocari: comparaturus autem viti vxorem honeſti viri, non eam viti præ foribus exiſtenti voluit comparare, hæc enim expoſita eſt prætereuntibus, ſed viti in lateribus domus conſtitutæ. Talis debet eſſe honeſta mulier, non in foribus conſiſtens, aut more ardelionis cuiuſdam hinc inde per vicos & compita diſcurſans, ſed in lateribus & ſecretis domus ſuæ. Et ob eandem cauſam Prouerb. 31. de muliere bona dicitur: *Conſiderauit ſemitas domus ſuæ, & panem otioſa non comedit.* Non ſcilicet conſiderauit plateas & vias ciuitatis, ſed ſemitas domus ſuæ: has perambulat honeſta mulier, has conſiderat attente, has calcat prouide, ac proſpicit, quid intra parietes domus ſuæ ſibi agendum ſit, & ideo panem

otioſa

otioſa non comedit, ſicut mulier facit vagabunda, quæ domi conſiſtere nequit. Imitari ſcilicet honeſtam muliereulam decet exemplum Iudith, quæ ſecretum ſibi cubiculum in ſuperioribus domus ſuæ in ſacris literis conſtruxiſſe legitur, in quo clauſa veluti morabatur. Non ſatis illi fuit, intra ianuas domus ſecretũ cubiculum facere, ſed in ſuperiore & remotiore parte domus ſuæ illud conſtruxit, &eo ſe recepit. Nimirũ ſancta erat, pia erat, caſta erat: & mulier, quæ ſancta, pia, caſta eſſe cupit, hanc ipſius ſanctitatem, pietatem & caſtitatem ſectetur.

ODA XX.

In eos, qui multa in ſe expedienda ſuſcipiunt negotia.

NVCLEVS.

Nemo poteſt Dominis ſimul inſeruire duobus.

AEſtate binis indui
Subuculis, & vnico
Heris duobus tempore
Deferre velle munia,
Vnoq; ceruulos cane

Au-

Hic inter duas ſellas corruit.



Audere binos inſequi,
Simulq; eundem laudibus
Ornare nunc, nunc carpere;
Inter duas hæc ſellulas
Fecere labi plurimos.
Qui curioſus plurimis
Seſe ingerit negotiis,

Arteſq;

Arteſq; tractat plurimas,
Eſt ille longe plurimis
Subiectius infortuniis.
Nam vel ferendæ protinus
Eſt impar ille ſarcinæ,
Vel ſi ferendæ idoneus
Sit ille forſan ſarcinæ,
Vtrinq; tandem muneris
Vel accipit viliſſimum,
Nullumue prorſus præmium;
Inſtar catelli Æſopici,
Qui carnis ore fruſtulum
Geſtans, aquasq; tranſmeans;
Vmbra ſub vndis carnea
Viſa, volebat promere.
Fruſtratus atqui ſpe ſua
Vtramq; carnem perdidit,
Veram ac imaginariam.
Hoc ergo tu prudentior
Memori reuolue pectore,
Si ſede qua ſedes bona,
Eritq; ſedes commoda,
Hac ſede tu ſede, nec hac
Recede ſede commoda.

NOTÆ.

1. *Duplex ſeruitus abſurda.* COmprobat ſenſum Odæ huius ipſe noſter Saluator Matth. 4. *Nemo*, inquiens, *poteſt duobus dominis ſeruire. Aut enim vnum odio ha-*

habebit, & alterum diliget, aut vnum ſuſtinebit, & alterum contemnet.

Cuius ſententiæ erat & Alexander Magnus, ad quem cum Darius Perſarum rex legationem miſiſſet, dimidiamque regni ſui partẽ ei obtuliſſet, animo eam magno repudiauit: *Mundus*, inquiens, *non agnoſcit duos Soles.* Inſani igitur ſunt, qui plurimis ſe immiſcent muneribus atque negotiis, cum vix vni alicui recte & pro æquitate pares eſſe queant.

Ergo qui ſapis, Phocylidem audi: II. Occaſioni ſeruiẽdum.

Καιρῷ δȣλέυειν, μὴ δὲ ἀντιπνέειν ἀνέμοισι.

Occaſioni obtempera, & noli ſpirare contra ventos.

Et Catonem lib. 2.

Rem tibi quam noris aptam dimittere noli,
Fronte capillata eſt, poſthac occaſio calua.

Et alterum item Poetam:

Si qua ſede ſedes, & erit tibi commoda ſedes,
Illa ſede ſede, nec ab illa ſede recede.

ODA XXI.

In procos, qui diuitias ambiunt.

NVCLEVS.

Virtus ſpectanda, non nummus.

ANnis ab hinc prioribus,
Cum candor ille ſimplicis

Profunda hic verba promit.



Adhuc vigeret ſeculi,
Si quis volebat nubere,
Thoriq; capere coniugem,
Non copiam pecuniæ,
Dotisue magnitudinem,
Ambibat aut pulcredinem,
Sed caſtitatem fœminæ,

Quam

Quam ſors amare cœperat,
Morumq́; amori congruam
Spectabat elegantiam,
Vitæq́; honeſtitudinem
Quod ſi bonis ſolummodo
Famaq́; honeſta præditis
Iſthæc foret parentibus
Prognata, nil de cæteris
Bonis petebat amplius,
Non æra, non pecunias,
Non arua, dotes, prædia,
Vel poſtulabant talia.
Annis at his præſentibus,
Cum candor ille ſimplicis
Extinctus alget ſeculi,
Si coniugalem quiſpiam
Cupit ſubire lectulum,
Vim maximam pecuniæ,
Grandemq́; dotis copiam
Plerunq́; ſolui poſtulat,
Illudq́; primum quæritat,
Diueſne ſit, vel indiga,
Quam concupiſcit, fœmina,
Si diues, illico accipit,
Suumq́; dicit corculum,
Suamq́; dicit ceruulam:
Si pauper, illam reſpuit,
Suamq́; dicit nauſeam,
Fœdamq́; dicit ſimiam,
Non is ſenectam debilem,

Lippoſq; non ocellulos,
Non ille rugas podicis,
Scabiemq; curat corporis,
Non ille mucum narium,
Sordeſue ſpectat crurium,
Sed totus à pecunia
Dependet amens copia.
Aurum ſenectam dimouet,
Aurumq; lippas corrigit,
Aurumq; rugas explicat,
Aurumq; fœda perpolit,

NOTÆ.

I. *Quomodo nubendum.*

MArtia, Catonis filia, cum rogaretur, cur poſt amiſſum maritum denuo non nuberet; reſpondit, *ſe non virum inuenire, qui magis eam vellet, quam ſua.* Quo dicto oſtendere voluit, diuitias magis in vxoribus ducendis eligi ſolere, quam pudicitiam & morum honeſtatem: ac multos non oculis, ſed digitis vxores ducere. At quanta exinde ſæpenumero eueniant incommoda, quid attinet commemorare, cum res hoc ipſa cottidie comprobet? Ita nunc omnes iſtos Euripidis ex Bellerophonte Senarios in ore ferunt, quos mutato genere ad fœminas transferre liceat:

II. *Pecuniæ ſtudium quam ſit frequens.*

Sine me vocari peſſimam, vt diues vocer.
Nemo an bona? ſed an diues? omnes quæritant.

Non

Non quare & vnde? quid habeam, tantū rogant:
Vbiq; tanti quaq; quantum habuit fuit.
Quid habere nobis turpe ſit quæris? Nihil.
An diues, quærimus omnes, nemo an bona.
Aut diues opto viuere, aut pauper mori.

In eundem plane etiam ſenſum Phocylides:

ἵππους δ᾽ εὐγενέας δίζεσθαι μὲν κατ᾽ οἶκον,
ταύρους δ᾽ ὑψιτένοντας, ἀτὰρ σκυλάκων πανα-
γελους.
γῆμαι δ᾽ οὐκ ἀγαθὴν ἐρεθαίνομεν ἀφρονέοντες.
οὐ δὲ γυνὴ κακὸν ἄνδρ᾽ ἀπαναίνεται ἀφνειὸν ὄντα.

Hoc eſt:

Equos autem nobiles quærimus habere in domo,
Taurosq; alta ceruicis, & catulos venatorios.
Ducere autem in vxorem malam fœminam contendimus inſipientes
Neq; mulier malum virum renuit, ſi diues ſit.

Themiſtocles Athanienſis multo hac in parte erat ſapientior. Cum enim filiam ſuam maxima cum dote pauperi cuidam, ſed honeſto tamen, iuueni elocaſſet, reprehenſus ob id ab amicis, *Malo*, inquit, *generum, qui egeat pecunia, quam pecuniam, quæ viro.* III. *Themiſtoclis ſcitum dictum.*

Dignum denique notatu eſt iſtud Plauti in Aulularia:

Dummodo morata recte veniat, dotata eſt ſatis.
Hæ ſunt atq; aliæ multæ in dotibus magnis
Incommoditates, ſumtusq; intolerabiles:
Nam quæ indota eſt, ea in poteſtate eſt viri.
Dotatæ mactant & malo & damno viros.

Laudant ſapienter factum & conſilio bono,
Opulentiores pauperiorum filias
Vt indotatas ducant.

Lepidum Martialis ad Priſcam epigramma addo:

Vxorem quare locupletem ducere nolim,
Quæritis? vxori nubere nolo meæ.
Inferior matrona ſuo ſit, Priſca, marito:
Non aliter fiunt fœmina virq; pares.

ODA XXII.

In Grobianos inciuiles & agreſtes.

NVCLEVS.

Qui proficit in literis, & deficit in moribus, plus deficit, quam proficit.

EN vt micans diademate
Molliq; puluinario
Sus inſidens ſuperbiat!
Vt faſtuoſos ad latus
Ocellulos intorqueat.
Roſtrumq; turgens ſtercore
Diducat & diſtorqueat,
Tum [illegible] contortiles
In circulos recolligat!
Hæc ſcilicet ciuilitas

Illa

Hic ſuem corolla cingit.



Illa eſt, & illa vrbanitas,
Qua Grobiani plurimi,
Et inficeti ſtipites,
Ceu ſus, niteſcunt ſordibus,
Laudemq; cenſent maximam,
Vitam ſuillam degere,
Merdisq; ſe peruoluere,

Ructuſq; fauce maximos
Tanto ſono protrudere,
Vt, ore clauſo, peruio
Dentes labaſcant impetu;
Mox ventris illis inſuper
Tantos fragores addere,
Vt tecta bombis contremant.
Quod ſi paratum forſitan
Vocantur ad conuiuium,
Cultro in patellam præpete
Præ cæteris mox inuolant,
Lautaſq; portiunculas
Dextra rapace ſubtrahunt.
Si quid cohæret dentibus,
Late recluſo gutture,
Cultro reuellunt ſordido,
Spurciſq; figunt orbibus.
Quid multa? nulla negligunt
Obſcœnitatis crimina,
Et fœde olentem debitis
Cingunt ſuem corollulis.

NOTÆ.

Ciuilitati morum ſtudendum.

Ciuilitati morum diligenter ſtudendum eſſe, omnes monent Ethici, viriq; alii eruditi. Certe, veteri adagio teſte, *qui proficit in literis & deficit in moribus, plus deficit quam proficit. Vide Poema lepidum Poetæ non illepidioris, cui titulus eſt* GROBIANVS, *iocis ſalibuſq; vndiq; referfer-*

fertum. Nunc relictis ſexcentis aliis, aliquot ſolummodo Naſonis ex lib. I. de arte amandi diſticha, huc facientia, annectere libet.

Munditiæ placeant, fuſcentur corpora campo:
Sit bene conueniens & ſine labe toga.
Linguaq; nec rigeat, careant rubigine dentes:
Ne vagus in laxa pes tibi pelle natet.
Quid ſi præcipiam, ne fuſcet inertia dentes,
Oraq; ſuſcepta mane lauentur aqua.
Nec male deformet rigidos tonſura capillos:
Sit coma, ſit docta barba reſecta manu.
Et nihil emineant, & ſint ſine ſordibus vngues:
Inq; caua nullus ſtet tibi nare pilus.
Nec male odorati ſit triſtis anhelitus oris,
Nec lædat nares, virq; paterq; gregis.
Sint modici riſus, paruæq; vtrinq; lacunæ,
Et ſummos dentes ima labella tegant.
Nec ſita perpetuo contendant ilia riſu,
Sed leue neſcio quid fœmineumq; ſonet.
Eſt & in inceſſu pars non temnenda decoris:
Allicit ignotos illa fugatq; viros.
Carpe cibos digitis: eſt certus geſtus edendi,
Ora nec immunda tota perunge manu.
Ne coram miſtas ceruæ ſumſiſſe medullas,
Nec coram dentes perfricuiſſe probem.
Certa tibi à nobis dabitur menſura bibendi:
Officium præſtent menſq; pedeſq; ſuum.
Iurgia præcipue vino ſtimulata caueto,
Et nimium faciles ad fera bella manus.

Occidit Euricion ſtulte data vina bibendo,
Aptior eſt dulci menſa merumq́ ioco.

Vide quæ ibi multo plura ſequuntur.

ODA XXIII.

In eos, qui magnificis titulis excogitandis ſunt ingenioſi.


NVCLEVS.

Virtus, non titulus, clarum reddit.

VBiq́ iam nunc gentium
Vagatur exul veritas,
Odiumq́ ſentit maximum,
Qui veritatem diligit:
Mellita ſed qui verbula,
Fallace promit pectore,
Fellita cum ſint ſpicula,
Et tela transfixoria,
Hic nunc vir eſt amabilis,
Totiq́ mundo perplacet.
Ars iſta nunc eſt optima,
Torquere verba ſubdole,
Polite belle, flectere
Et leuigare ſuauiter,
Vt dulciora dulcibus
Poßint videri mellibus,
Quibus velut lethalibus
Effaſcinamur peſtibus,

Quid

Leuia hic verbula expolit.



Quid maximos recenſeam
Titulos, quibus magnatibus
Faſtum creantes obſtrepunt.
Hic audit illuſtriſsimus,
Cum non tamen plus luceat,
Fornace quam carbunculus.
At ille praecelſiſsimus,

Cum vix miſellus infimo
Emerſerit de ſtercore.
Hunc mentiuntur prouidum,
Qui neſcit, hordeaceæ
Quanti placenta veneat.
Hic audit humaniſsimus,
Cum ſit Nerone ſæuior:
At ille ſpectatiſsimus,
Cum talpula ſit cæcior.
Hunc dictitant ampliſsimum,
Cum pectore anguſtiſsimus,
Re q; ſit preſsiſsimus
Anguſtia domeſtica.
Si vota fas eſt promere
Tantum mihi ſuperſtitis
Vitæ relinqui poſtulem,
Mihi vt liceret cernere,
Fucata quorſum hæc deniq;
Ventura ſit fallacia!

NOTÆ.

I. *Aſſentatorum mores qui.*

EX horum numero ſunt, quos Alanus de complanctu naturæ *palatinos canes, adulationis artifices, fabros laudis, figulos falſitatis* nominat.

*Hi,*inquit,*ſunt, qui magniloqua commendationis tuba in diuitum auribus citharizant, qui medica adulationis fauos foras eructant, qui, vt emungant munera, caput diuitis oleo adulationis inungunt, pra-*

lato-

latorum auribus puluinaria laudum ſubiiciunt; qui ab eorum palliis aut fictitium puluerem excutiunt, aut veſtem ficitie deplumant implumem.

Sic Iuuenalis Satyr.3.

Quid, quod adulandi gens prudentiſſima laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici,
Et longum inualidi collum ceruicibus æquat
Herculis, Antæum procul à tellure tenentis.
Miratur vocem anguſtam, qua deterius nec
Ille ſonat, quo mordetur gallina marito.

At Petrarchæ illud dialog.49.notandum: *Virtus vno ſeu potius nullo titulo contenta, ipſa ſibi eſt titulus.* Et paulo poſt: *Sapientia titulis non eget: per ſe ipſa clara eſt.*

ODA XXIV.

In Bibones, belluones & pergræcatores.

NVCLEVS.

Temulentia fons ſcelerum.

NVnc ad bibones deuenit
Orationis ſeries,
Qui per tabernas vrbium
Currunt, & œnopolia,
Exhauriuntq́ue pocula,
Perduntque patrimonia,
Cum forte nummus obuenit,

Velo-

Hic humorem amat & internum & externum.



Velociores ceruulis
Mox ad popinas aduolant,
Et hunc bibendo digerunt.
Quod ſi rei penuria
Forſan grauari cœperint,
Ad fœda valde crimina

Sce-

Scelerumq; lernam turpium
Prono feruntur impetu:
Latrocinantur, turgida
Cultris ſecant marſupia,
Manuſq; furtis mancipant,
Vel oſtiatim poſtea
Stipem vagantes quæritant,
Morbiſq; ſe miſerrime
Fingunt grauatos maximis.
Pars crura nequam plurimis
Ligata voluit faſciis,
Claudoſq; mentitur pedes,
Quos, ſi ferat neceſſitas,
Vix ceruulus celerrimis
Aequare poſſit curſibus.
Pars his adhuc ſceleſtior
Falſas ſubornat literas,
Mendicitatis quas vocant,
His mentiuntur editas
Ab igne clades maximas,
Ædeſq; flammis ſubrutas,
Humore cum diffluxerint
Liquore ſiue Bacchico.
Quid non malorum ſubdolæ
Excogitant fallaciæ?

Ædesq; flamis subrutas Humorē cum diffluxerint

NOTÆ.

DE bibacitate & ebrietate Auguſtinus vere: *Ebrietas eſt flagitiorum omnium mater,* *cul-* 1. *Ebrietas quale quã-*

tumq; ſit vitium.

culparumque materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, ſubuerſio ſenſus, tempeſtás linguæ, procella corporis, naufragium caſtitatis, amiſſio temporis, inſania voluntaria, ignominioſus languor, turpitudo morum, dedecus vitæ, honeſtatis infamia, animæ corruptela. Idem alibi: *Ebrietas eſt blandus dæmon, dulce venenum, ſuaue peccatum, quam qui habet, ſeipſum non habet, quam qui facit, peccatum non facit, ſed totus eſt peccatum.* Petrus Rauennas: *Ebrietas mater litium, furoris generatrix, petulantiæ magiſtra, hanc qui habet, homo non eſt, hanc qui habet, non peccatum facit, ſed eſt ipſe peccatum. Hæc enim eſt rabies voluntaria, inuitatus hoſtis, illecebra honeſtatis, & pudoris iniuria.*

Et quis omnia bibacitatis incommoda enarret? quæ non tantum terrenis, ſed & cœlicis ſpoliat bonis. Diogenes, videns hominis, vino deditiſſimi, ædes venales eſſe, ex ianuæ inſcriptione: *Minime dubitabam,* inquit, *quod vini crapula excuſſa facile domum euomeres.* Plato, vt ab ebrietate diſcipulos ſuos deterreret, eos admonebat, vt ſe ebrios in ſpeculo contemplarentur. Sic enim fore, vt, dum faciem ſuam furibundam & phrenetico ſimilem intuerentur, in poſterum ab iſto vitio eo diligentius abſtinerent. At nunc adeo inualuit temulentia & bibendi conſuetudo, vt pugna quædam vehemens inter æmulos compotores inita videatur. Meminiſſe autem illos decebat Ariſtippi, qui iactanti cuidam,

dam, quod multum bibere poſſet, nec inebriaretur: *Quid*, inquit, *magni narras, cum idem mulus quoque præſtare poſſit?* Vel Demoſthenis, qui, cum Philocrates & Aeſchines, Athenienſium legati ad Philippum Macedoniæ regem, domum reuerſi, regem eo nomine laudarent, quod ſtrenue bibiſſet; *Hanc*, inquit, *virtutem cum ſpongia habet communem.*

ODA XXV.

In πολυπραγμοσύνην & ſuperuacaneas quorundam curas.

NVCLEVS.

Spartam orna propriam.

Negotiis qui plurimis
Se miſcet, atque ſuſcipit
Maiora, quam quæ propriis
Sufferre poſſit viribus,
Et qui ſuperuacaneis
Diſtringitur laboribus
Aliena curans munia,
Ne ſtultus ille maximus,
Seiſusque prorſus impotens

Nic stultus ille maximus
Sensusque prorsus impotens

Dignus.

Hic grandia ſentit & loquitur.



Dignusq́ qui nequiſſimo
Accenſeatur ordini.
Hi, quantum opum Venetiis
Fretum per Adriaticum
Ex Inſulis acceſſerit,
Norunt ad vnguem; Pontifex
Quas nuper indulgentias,

Por-

Portam recludens auream
D.uiſerit plebeculæ:
Quot Imperator copias
Conduxerit ſtipendio;
Vel quorſum eaſdem miſerit,
Quot interemtos prælio
Hoſtes cruento fuderit:
Quid actitet rex Galliæ,
Quid moliatur Suecia,
Hiſpaniæ, Poloniæ;
Quid Danus, aut quid Moſcicus,
Quid Imperator Turcicus
Byzantii decreuerit,
Quid ſanxerint ſeptemuiri
In nuperis conuentibus;
Quot ciuitates liberæ
Pecunias collegerint,
Vel quorſum eas impenderint,
Scrutantur intenſiſſime,
Laborioſe quæritant;
Quibus foret conſultius
Multo, magiſq; commodum,
Si prouiderent propriis
Domi ſuæ negotiis.

NOTÆ.

Congruo admodum vocabulo eos, qui, neglectis propriis, alienis iiſque captum & conditionem ſuam excedentibus curis ſe

I. Ἀλλοτριο-επισκοπία *quæ ſit.*

 diſtor-

diſtorquent ac diſtringunt, ἀλλοτριοεπισκοπεῖν Græci dicunt, quod inſpectionem ſuper aliena negotia ſibi ſumant. De quibus in Sticho Plautus:

Sed curioſi ſunt hic quamplures mali,
Alienas res qui curant ſtudio maximo,
Quibus ipſis nulla eſt res, quam procurent, ſua.

II. *Sparta propria eſt exornanda.* Verum abeant iſti πολυπράγμονες, & naſutuli, Spartamque ſuam propriam, quam nacti ſunt, exornare diſcant. Scilicet in ſuis ipſorum domibus videbunt omnia

In peius ruere & retro ſublapſa referri.

Habebunt igitur abunde, quod in ſe ipſis emendent, corrigant, ſanent. Noui virum apprime eruditum, cuius Symbolon eſt: TECVM HABITA. Fortaſſis ad imitationem Poetæ:

Tecũ habita & noris quam ſit tibi curta ſuppellex.

Quid, quæſo, accommodatius in hunc ſenſum poterat dici? Suo ſcilicet quemque ſe metiri modulo ac pede par eſt. Sed propero & vela portum verſus tendo.

ODA XXVI.

In ſubdolos & fallaces mercatores.

NVCLEVS.

Laudat venales, qui vult extrudere, merces.

QVi fraude non vaferrima
Miriſq; ſtrategematis

Noſtro

Decipulam hic lardo perungit.



Noſtro antecellunt ſeculo,
Velut pice hærent muſculi,
Et vix queunt emergere.
Qui mella miſcent fellibus,
Gratum veneno pharmacum,
Muriña piperi ſtercora,
Formamq; poſſunt omnibus

Speciosiorem affingere,
Ceu venditores plurimi
Nouere nundinarii,
Qui, cum ſuperne ſplendida
Et pulcra mercimonia
Sub fraude collocauerint,
Subtus recondunt peßima,
Ocellulis non obuia
Ementium, atq; vacceo
Vix æſtimanda ſtercore,
In orbe ſunt potißimi,
Primasq́; ſedes occupant.
Si quid vetuſtate obſitum,
Antiquitate marcidum
Conſpexerint nequißimi,
Coloribus mox oblitum
Recentibus conſarciunt,
Nouisq; miſcent mercibus,
Modosq́; fingunt plurimos,
Quibus ſceleſti ementium
Exhauriant crumenulas.
At quantulum iſte venditor
A fure cenſes differat?
Certe videtur admodum
Diſcrimen eſſe paruulum.
Ab hoc cauere quis ſibi
Poteſt, ab illo vix poteſt.

NOTÆ.

NOTÆ.

VIde quæ de mercatorum ac inſtitorum moribus ſupra ad odam 16. adnotauimus, quæ & huc quam commodiſſime quadrant. *Eſt quidem mercatura*, ſecundum Ariſtotelem lib. I. Polit. *per ſe non vitioſa, licet habeat turpitudinem. Ideoque licita eſt, ſi fit ad finem honeſtum vel neceſſarium, id eſt, ſi negotiator lucretur moderate, ſcilicet vel ad ſuæ familiæ ſuſtentationem, vel pauperum, vel communitatis. At vbi ſaltem turpis lucri gratia exercetur, ad decipiendos homines, execranda eſt omnibusq; diris deuouenda.* I. *Mercatura an ſit licita.*

Apud Thebanos lex fuit, quæ vetuit τὸν δέκα ἐτῶν μὴ ἀπεσχημένον τῆς ἀγορᾶς μὴ μετέχειν ἀρχῆς· id eſt, *eum qui decem annis à commerciis non abſtinuiſſet, remoueri à gubernatione.* Cauſa non eſt vna. *Primum*, quia conſuetudine & inclinatione ſunt auari, ideoque facile publicam rem in ſuam vertunt vtilitatem. *Secundo*, quia parum magnanimi aut ſplendidi, atque vt Ariſtotelis verba vſurpem, ἀγεννὴς ὁ τοιοῦτος βίος καὶ πρὸς ἀρετὴν ὑπεναντίος, id eſt, *Parum generoſa eſt hæc ratio vitæ, & virtuti aduerſa.* *Tertio*, quia fallaces ſunt & doloſi vtplurimum. *Quarto* deniq; quia in publica perſona auctoritatem id minuit, &, vt Liuius ait, *quæſtus omnis indecorus Patribus eſt viſus.* II. *Mercatores ad gubernationem non ſunt admouendi.* 7. *Polit. c.* 9. *lib.* 21.

Si mercatorum naturam atque mores pe- III. *Mercato-*

rum mores quales. nitius excutiamus, paſſim peculiare illis eſſe animaduertemus, mentiri, peierare, fallere: nulla illis lucrandi ratio turpis: ita omnis eorum vita, omne ſtudium ad quæſtus, ad lucra, ad vſuras adornata eſt, vt dies noctesque id vnice operam dent, quomodo multos pecuniarum cumulos coaceruare, perque fas nefaſque corradere poſſint. Etenim, ſi Auguſtino credimus, *nulli ſine fraude diteſcunt: lucrum habere nemo poterit, niſi fraudem fecerit.* Ideo mercator

——— plenius æquo
Laudat venales, quas vult extrudere, merces.

Et, conſentiente alio,

Periurata ſuo poſtponit numina lucro
Mercator, Stygiis non niſi dignus aquis.

Emit hic, vendit ille, portat hic, ille aſpirat, hic creditor, ille debitor, hic ſoluit, ille recipit, alter rationes ſcribit: omnes autem peierant, fraudant, fallunt, nec animæ, nec corporis, nec fortunæ periculum verentur, modo lucrum ſperent; non cognationes, non affinitates, non conſanguinitates reſpiciunt, ſed, ſecundum Poetam

——— amicitias vtilitate colunt.

Nullis laboribus parcunt, nullis moleſtiis abſterrentur, ſed veluti extra mentis vſum conſtituti omnes orbis angulos cum ſummo vitæ & fortunæ periculo perreptant ac peruagantur. Imo, quod Horatius ait,

Impi-

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

Quis vero fraudes omnes percenſeat, quibus mercatores vtuntur in lana, lino, ſerico, panno, gemmis, aromatibus, cera, oleo, vino, frumento, equis, aliiſque animalibus, deniq; in omnium mercium genere? Quis monopolia enumeret, quibus non tantum totas ciuitates, ſed & regna exhauriunt? Quis ſatis vituperet fugas iſtorum, qui non raro ingenti ære alieno cōſarcinato, conſtituto alibi domicilio, inde vero proſtituta fide, verſo ſolo, profugi, & ſero aut nunquam redeuntes, creditores fraudant, & ad deſperationem ac laqueum adigunt? Ipſi ſunt qui chirographis & obligationibus implicant & explicant ciues, debitorumq; adeo profundas figunt radices, vt euelli deinde nequeant, ſed veluti in gyrū pullulantes, & ex debitis debita germinantes vrbes earumq; incolas ſuffocant & euertunt, omnemq; ſubſtantiam inexplebilibus quaſi faucib. glutiunt atq; deuorant. Vt paucis dicam; omne eorum inſtitutum non niſi mendacia, fuci, ſermonum nebulæ, fraudes, furta, expilationes, inſidiæ, & impoſturę manifeſtę.

Hinc Græci mercatores nequaquam intra vrbes recipiebant, ſed vt ciues à periculi ſuſpicione eſſent immunes, à pomæriis non longe forum venalium ſtatuebant. Pleræq; aliæ gentes mercatores ad ſe accedere prohi-

buerunt, quod mores deprauarent. Ideoque Plato eos vituperat, quod optimos inquinēt mores, & in bene conſtituta Republ. lege cauendum cenſet, ne externarum gentium delitiæ in vrbem comportentur, ac ne quis è ciuibus, minor quadraginta annis, peregre proficiſcatur, mercaturæ exercendæ gratia, exteri autem ad ſuos remittantur, eo quod iſtiuſmodi hominum contagiis ciuium mores facile in peius poſſint mutari, vel etiam omnino deprauari. Notatu dignum eſt monitum Auguſtini, quod Mercatori ſuggerit: vbi iſtud addidero, ad vlteriora tranſibo. *Ecce,* inquit, *Diabolus propoſuit lucrum, & mutuauit ad fraudem: lucrum habere non poteris, niſi fraudem feceris: ſed lucrum eſca eſt, fraus laqueus: ſic attende eſcam, vt videas & laqueum, quia lucrum habere non poteris, niſi fraudem feceris: fraudem autem ſi feceris, capieris.*

ODA XXVII.

In deſperata malitia adoleſcentes.

NVCLEVS.

Aethiopem lauat, qui deſperatæ nequitiæ puerum emendandum ſuſcipit.

VMbra caballus virgulæ
Poteſt domari nobilis,

Igno-

Aquam hic in puteum infundit.



Ignobilis calcaribus
Petitus atq; grandibus
Vix concitatur fuſtibus.
Sic & puellus nobili
Bonaq; præſtans indole
Verbis locum monentibus
Relinquit: atqui degener

Nec verbulo, nec verbere
Poteſt acerbo corrigi,
Omniſq; diligentia
Et omnis emendatio
Conſumitur fruſtranee,
Oleum ac opella perditur,
Fontiq; lympha infunditur.
Nullis poteſt hortatibus,
Nulliſq; ſuaſionibus
A prauitatis inſitæ
Oeſtro ſceleſtus reprimi.
Qualis puer, talis ſenex,
Vt oua ſunt, ſic ſunt aues,
Quam ſcilicet ſemel viam
Calcauerit nequiſſimus,
Vix hanc deinceps deſeret,
Nec vel minis, vel ictibus,
Blandiſue ſponſionibus,
Poſthac ab huius ſemitæ
Poterit reuelli greſſibus:
Donec cruento carnifex
Affligat iſtum præmio,
Longamq; faxit literam,
Vel curtiorem palmula
Reddat, rota vel enecet.
Nam qui parentum deſpicit,
Et Pædagogi munia,
Non is (mihi crede) alterum
Vitæ meretur exitum.

NOTÆ.

NOTÆ.

AD hanc odam vide quæ paulo prius ad 18. adnotaui. Hic vnum atque alterum ſaltem Poetæ monitum addam, de cultu & obſeruantia parentum, quam illis liberi debent.

Liberos in parentes quales eſſe deceat.

Euripides in Herc.

Nihil eſt tam honorificum liberis,
Quam bono & honeſto genitore eſſe natos,
Et debitum honorem parentibus offerre.
Nihil eſt genitrici ſua prole ſuauius.
Amate matrem, ô liberi! Non enim eſt amor
Vllus huiuſmodi, & qui ſuauius ametur.

Plautus in Trinummis:

Feceris par tuis cæteris factis, patrem
Tuum ſi percoles per pietatem.

Comicus Græcus:

βούλου γονεῖς πρὸ παντὸς ἐν τιμαῖς ἔχειν.
Tibi ſunt parentes primo honorandi loco.
ἔλπιζε, τιμῶν τοὺς γονεῖς, πράξειν καλῶς.
Colens parentes læta ſperes omnia.

Euripides:

Quisquis in vita ſua parentes colit,
Hic & viuus & defunctus diis charus eſt.

Timocles:

Quicunq; patrem timet ac reueretur,
Hic in bonum ciuem euadet procul dubio,
Et hoſtibus incommodare poterit.

Or-

Orpheus:

Iupiter inſpicit illos, qui colunt iura parentum,
Et qui negligunt præ animi impudentia.
Ac illis quidem benignus & mitis bona largitur;
His vero infenſus indignatur per furias.
Sunt enim vehementes in terra parentum furiæ.

ODA XXIIX.

In eos, qui maiora viribus ſuis ſuſcipiunt, & qui neglectis precioſis vilia quærunt.

NVCLEVS.

Plumbum auro præfert, qui terrena cœlicis.

QVi talibus ſe prægrauat
Negotiorum molibus,
Quibus ſit impar viribus:
Vel qui relictis cœlicis
Terrena quærit commoda,
Opeſq; temporaneas,
Vanas, caducas, fluxiles,
Bis ille ſtultus inuium
Frangit nuces per ſacculum,
Nec delitentem intrinſecus
Attingit ore nucleum.
Æterna vita nucleus,

Terre-

Hic per ſaccum nuces frangit.



Terrena vita eſt ſacculus.
Hunc ſacculum conuellimus,
Mordemus ore, voluimus,
Noctes dieſq; mandimus,
Sed nucleum non tangimus.
Sectamur vmbram luminis:
Sed lumen ipſum ſpernimus.

Os dentibus corrodimus:
Carnis medullam temninus.
Quis non furorem peſſimum
Miretur atq; inſaniam?
Sed & ſacratæ virgines
Vel omnium potiſſimum
Hunc pertinent ad ordinem,
Quæ caſtitatem vouerant
Deo perennem maximo,
Sed omnibus ſunt interim
Scortationis obuiæ
Libidinisq; motibus,
Fortaſſis iras hoſtico
In me fouebunt pectore,
Quod tam pudenda virgines
In ſede collocauerim:
At rideo. Nam ſæpius
Dignum eſt patella operculum.

NOTÆ.

SI alicui optionem dares inter aurum & plumbum, iuberesque, vtrum ex illis vellet, ſumere; ille autem ſpreto neglectoque auro acciperet plumbum, nonne illum ſtultiſſimum eſſe diceres? Vtique. O inſana ergo & delira mundi ſtudia, qui neglectis bonis cœleſtibus, præ quibus aurum ſordere videri poſſit, terrenis, quæ nil niſi ſtercora, & ſi quæ illis viliora, ſunt, inhiat. Recte Audoenus:

Terrena cœleſtibus non ſunt præferenda.

De-

Defleret mores, ſi viueret, Heraclitus,
Noſtraq; rideret tempora Democritus.
Quanquam ad ridendum curas & inania mundi
Splenis Democritus non ſatis vnus habet.
Ad caſus hominum lacrymarum more rigandos,
Heraclite, oculi non ſatis ambo tui.

Alludit huc floſculus 98. Hortuli mei Anthologicomelici, quem lubet addere:

Vix bona perdurant ocu'i terreſtria nictum,
Collata æternis quæ ſine fine, bonis.
Illa indeſeßis conatibus atq; labore
Quærimus Herculeo: Cœlica reſpuimus.
O mores reprobos! O inertia pectora! gemmis
Quæ ſibi neglectis ſtercora fœda legunt.

Si animam, inquit Chryſoſtomus de recuper. lapſ. *negligamus, nec corpus ſaluare poterimus.* Animam igitur omnium curet primam, qui corpus ſaluari cupit.

ODA XXIX.

In eos, qui prudentiores ſibi ipſo Deo videntur.

NVCLEVS.

Ouum præ gallina vult ſapere.

SEd nec Deum ter optimum
Ter maximumq; peßimus

Homun-

Hic in cœlo os ſuum ponit.



Homuncionum præterit
Furor, nec abſq; ſcommatis
Sinit hunc abire liberum,
Sed vel cauillis obruit,
Vel impetitum morſibus
Conuitiatur, corrigit,
Taxat, refutat, increpat:

Hic imbrium vult copiam,
Hic ſiccitatem poſtulat;
Huic ſolis æſtus carpitur,
At frigus illi diſplicet:
Auſtri ille flatus expetit,
Nothum ſed ille ſuſpicit,
Et nemo non prudentior
Ipſo videri vult Deo,
Quodſi veniret cœlitus
Ad nos Deus iuſtiſsimus,
Hæc cogeretur ſingula
Nobis magiſtris diſcere,
Scholasq; noſtras viſere.
Sed proh nefandam inſaniam,
Nefanda proh piacula!
Audere nequam peßimum,
Qui neſcit haram verrere,
Vel cochleare effingere,
Deum docere maximum,
Qui nil niſi eſt prudentia,
Cuius poteſtas emicat
Per vaſta mundi climata;
Quiq; omnium ſcit optime,
Quæ tempori cuilibet
Par aeris ſit qualitas,
Et pro ſua ſapientia
Recte gubernat omnia.

NOTÆ.

Axioma á Chriſto ipſo prolatum eſt Mat. 10. *Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum, nec ſeruus ſuper dominum ſuum.* De iure docet Saluator. De facto autem quid fiat, præſens docet oda. Quis non quotidianas, imo momentaneas plurimorum hominum audit querelas? cuius aures non feriunt? Huic Sol nimio ſuo calore eſt moleſtus, ille frigus dolet: Hic imbrem, qui arua prædiaque ſua frumentis obſita irriget, expoſcit: ille iter aliquod aggrediens imbrem modis omnibus auerſatur, ſiccitatemque poſtulat. Hæc vitibus tempeſtas, illa hordeo, iſta tritico, hæc gramini non ſatis conueniens reprehenditur. Quid multa? *Quot homines, tot ſententiæ.* Sed quid de illis dicam, qui imperſcrutabiles diuinæ ſapientiæ abyſſos inſulſis ſuis mentibus rimantes non verentur iniuſtitiæ atque iniquitatis Deum arguere? modo hanc modo illam eius actionem cauillantes, cur protoplaſtos homines labi permiſerit, cur pauci admodum æternæ vitæ fiant participes, cur econtra maxima impiorum multitudo in cruciatus infernales, perpetuo verme diſcruciāda, pręcipitetur, cur non ſtatim omnium precibus ſatisfaciat, cur cæco huic viſum, ſurdo iſti auditum. dementi mentem, pauperi diuitias,

tias, deformi pulcritudinem, ægro ſanitatem non reſtituat. Hæc & ſimilia curioſi naſutulique iſti homunciones mirantur, non ſolum autem mirantur, verum etiã reprehendunt. Sed ô vecordes! ô inſanos! Qui freta, qui terras, qui regit aſtra, Deus cur non pro lubitu ſuo creaturas ſuas moderetur? quis tempeſtatem ab ipſo effectam, quis pluuias ab illo immiſſas, quis ſolis ſplẽdorem, quis tonitrua culpet, cum ipſe ſolus omnium optime nouerit, quando his omnibus ſit opus?

Qui ſuo bono ſapit, cum Boet. Deum ſapientiſſimum ſic potius affetur:

O ſtelliferi conditor orbis,
Qui perpetuo nixus ſolio
Rapido cælum turbine verſas,
Legemq́ pati ſidera cogis, &c.
Tu frondiflua frigore blumæ
Stringis lucem breuiore mora.
Tu cum feruida venerit æſtas,
Agiles noctis diuidis horas.
Tua vis varium temperat annum,
Vt quas Boreæ ſpiritus aufert,
Reuehat mitis Zephyrus, frondes &c.
Nihil antiqua lege ſolutum
Linquis propriæ ſtationis opus
Omnia certo fine gubernas.

Hæc verba poſteriora, pii hominis animum, priora illa nebulonis indicant.

ODA XXX.

In eos, qui occaſionem peccatis ſuppeditant.

NVCLEVS.

Vitanda non ſolum mala, ſed & malorum occaſio.

NOn eſt malum ſolummodo,
Paulo monente Apoſtolo,
Niſu cauendum ſedulo,
Sed & malorum occaſio.
Qui non videri publicus
Vu œnopola, poſtibus
Hederam reuelle pendulam,
Notumq; fiet omnibus,
Nullum tuis in ædibus
Venale vinum porrigi.
Qui fur videri non cupis
Facto, nec eſto geſtibus,
Vagoſq; non ocellulos
Ad furta circumfer tuos.
Vin' haud vocere adultera?
Adultera ſubterfuge
Geſtus, & haud libidini
Occaſionem ſuggere.
Tales enim quamplurima

In or-

Hederam hic ſuſpendit.



In orbe dantur fœminæ,
Quarum licet fœdas nates
Senilis aret rugula,
Tamen priorum futiles
Meminere quando criminum,
Nouo reſultant gaudio,
Et blanda delectatio

Titillat in præcordiis,
Et ad patranda talia
Iuuenculas fœmellulas
Sermone blando concitant.
Peccata nobis ſcilicet
Poſſent caueri plurima,
Si præſtituta criminum
Præcideretur anſula.

NOTÆ.

QVi cum hoſte pugnam init, omni ex parte armatum incedere oportet. Nam ſi vel vnica ex parte fuerit inermis, ob id mortis periculo expoſitus erit. Finxerunt olim Poetæ Achillem in lacu Stygio lotum fuiſſe, & ſolas pedum illius plantas aquas illas non attigiſſe, vnde totum eius corpus ita forte ac validum fuiſſe dicebant, vt nullo modo vinci, nec feriri ad mortem poſſet. Per plantam vero pedis vulneratus obiit: quo ſignificare voluerunt, nullam prorſus inermem partem hoſti exponendam eſſe. Idipſum & de bello ſpirituali dicendum eſt, quando cum diabolo, carne, ac mundo bellum gerimus. Curandum igitur valde nobis eſt, ne minimum quidem locum hoſtibus demus, quo vulnus infligere nobis poſſit. Quod quidem fiet, ſi paſſiones omnes moderati fuerimus: Si vero vnicus affectus immoderatus, ſiue auaritiæ, ſiue ambitionis, ſiue gulæ, ſiue inuidiæ, remanſerit, quamuis reliquos omnes iam rationi

ſub-

ſubdiderimus, inde nobis mortem adſciſcemus. Idem n. profecto de occaſionibus, quod de paſſionib. dicendum eſt: nam licet cunctis occaſionib. clauſeris cordis oſtium, ſi vni tantum occaſioni rimulam aperueris, ea peribis: cunctas igitur occaſiones vitare omni ſtudio debes, vt ſalueris. Ideo Chriſtus Matt. 5. Paralyticum, priſtinæ ſanitati reſtitutũ, iubet tollere ſecum lectulum ſuum. Lectulus ille ſymbolum eſt earum rerum, circa quas peccatũ, quod libet, verſatur, in quib. perditi homines tam diu iacent, quãdiu illi peccato adhærẽt. Auarus videlicet in pecuniis, ſuperbus in honoribus & dignitatibus, libidinoſus in deliciis, conuiuiis, impudiciſque ſermonibus: ac deniq; quælibet occaſio peccandi eſt, velut lectulus quidam, in quo ſemel ac iterum peccatores recumbunt. Hanc ergo vult Chriſtus illũ à ſe amouere, qui ad animi ſanitatem reſtitutus eſt. Sic Plutarch. refert, Lycurgũ Spartiatarum legislatorem ſanxiſſe, omnes vineas, quæ in regno Lacedæmoniæ plantatæ fuerant, eradicari, eo quod Spartiatæ potationibus & ebrietatib. nimis vacarent. An prudẽter ita ſanxerit, nolo hic diiudicare: certe intentio principis huius laude digniſſima eſt, q reipubl. abuſum & malũ videns, non ſolum malũ ipſum emendare curauit, ſed etiã occaſiones malorũ. Si profan⁹ hoc princeps fecit,
 quid

quid Chriſtianis noſtris hac in parte agendum, ipſi videre poterunt. Vt paucis dicam, qui ſapis, iuxta Poetæ illud,

Principiis obſta: ſero medicina paratur,
Cum mala per longas inualuere moras.

ODA XXXI.

In eos, qui in ſe ipſos ſunt iniurioſi, ſibiq; ipſis malum creant.

NVCLEVS.

Inimicus ſibi, amicus nemini.

Volucris obſcœniſſima
Eſt, omniumq; peſſima,
Merda ſolet quæ proprium
Contaminare nidulum.
Sic ille nequam eſt peſſimus,
Qui laudis immemor ſuæ,
Suiq; prorſus nominis
Oblitus, in famam irruit
Iniurioſus propriam.
Nam qui ſibi haud pepercerit,
Vt iſte parcet alteri?
Sic qui parentes liuido
Suggillat ore proprios,
Et qui maligne proprium

Con-

Volucris hæc proprium ſtercore conſpurcat nidum.



Conuitiatur principem,
Suamq; prodit patriam:
Et qui marita propria,
Et quæ mariti proprii
Secreta pandit crimina
Sic qui laboris compares,

Pariliq; iunctos munere
Probris laceſsit turpibus,
Horumq; næuos publica
Pro concione prædicat:
Næ millies nequiſsimus
Ille eſt, homoq; peſsimus,
Et non minore perditus
Obſcœnitate furcifer,
Quam quæ volucris proprium
Solet cacare in nidulum.

NOTÆ.

I. *Quiuq; ſibi eſt proximus.*

VEtus eſt verbum: *Proximus ſum egomet mihi.* Contra qui in ſeipſos ſunt iniurioſi, quomodo in alios poterunt eſſe æqui? Hinc Periandri monitum: σεαυτὸν μὴ ἀμέλει. *Id eſt: Te ipſum ne negligas.* Et Menandri iſte Senarius:

ἑαυτὸν δ' οὐδεὶς ὁμολογεῖ κακοῦργον.

Seipſum nullus fatetur eſſe malum.

Proinde ſi nemo in ſeipſum eſt acerbus, nec in amicum erit. Nam hæc amoris eſt natura in Philoſophicis: *Amicus meus alter ego*: Vnde cum Alexander Magnus ſocium ſecum amicum quendam deferens ad viſitandam reginam Aſiæ pergeret, & illa amicum Alexandri ipſum Alexandrum eſſe cenſens, Alexandri honores illi tribuiſſet, erroremque ſuum deprehendens erubuiſſet; *Bene*, inquit Alexander

der, *factum eſt: nam & hic Alexander eſt.* O rege dignam vocem! Ideo enim, ait Chryſoſtom. hom. 24. in 1. ad Cor. *autor ipſe rerum Deus iam olim à principio ſexcenta commentus eſt, quibus caritatem in proximos nobis inculcaret. Primum caput vnum omnibus dedit ipſum Adam; cur enim è terra non ſumus, vt ad concordiam flecteret nos: nam ſi nunc, quia locis diſsidemus, alienos nos inuicem putamus, ſi generis noſtri duo principia extitiſſent, quid eſſet? Et ob hanc cauſam nec mulierem ex terra fecit, ſed ex coſta viri, vt, quia eiusdem ſubſtantiæ ſumus, in vnum perducamur, & ex horum procreatione multi naſcuntur affectionis modi: hunc, quia frater, amamus, hãc quod ſit mater, illam, quia nutrix, hunc quia filius, illum, quia nepos, & illum, quia pronepos, hanc quia filia, illam, quia neptis, hunc, quia frater, illum, quia ex fratre nepos, hanc, quia ſoror, illã, quia ex ſorore neptis, &c.* Quorum ergo ex numero iſtum eſſe cenſebis, qui non ſolum in amicos, ſocios, coniuges, liberos, verum & in ſe ipſos iniurioſi eſſe non verentur? II. *Amoris inventiua quæ*

Iſti autem profecto in extremo nequitiæ gradu conſtituti ſunt, qui, ſi quos in parentibus ſuis defectus viderint, tanta ſunt impudentia præditi, vt non vereantur, publice illos apud alios traducere, modisque omnibus adlaborent, quo publicæ illos famæ atque infamiæ exponant. Quod vbi effecerint, mirum quam tripudiant, III. *Quorundã in parentes impietas quanta.*

quam

quam lætantur, quam, re quaſi bene geſta, geſtiunt! Sed quid aliud quæſo agunt, quam quod ſeipſos omnium ludibrio atque fabulæ exponunt? Imo duplex inde ad iſtos recidit incommodum. Dum enim parentes taxant, ſe ipſos etiam taxant, cum pater & filius vna eademque cenſeantur perſona. Iniurius igitur in patrem in ſe ipſum ſimul iniurius eſt. Accedit huc, quod ratio dictitat, illos ſceleſtiſſimos eſſe, qui parentum ſeſe proditores exhibent. Hinc altera & turpior multo infamia in ipſos redundat. Vt paucis dicam, parricidæ ſunt iſti nebulones. Etenim, crede mihi ſi tantum poſſent factis, quantum audent verbis, vita profecto parentum præſentiſſimo periculo eſſet expoſita. Sed pergo ad Odam ſequentem.

ODA XXXII.

In Confeßiones quorundam ſceleratorum hominum.

NVCLEVS.

Qualis confeſſio, talis abſolutio.

NEquam reductos hactenus
In ordinem recenſui,

Suamq;

Nequam hic confeſſionem facit.



Suamq́ ſedem ſingulis
Pro dignitate debitam
Aſcripſitaſſe me puto :
At nunc eorum in publicum
Confeſſiones proferam,
Quibus patrata nunciant
Delicta confeſſario.

Si crimen, aiunt, forſitan
Quoddam patraui, vel ſcelus,
Quod vix tamen putauerim,
Culpam remittas, obſecro,
Et abſolutum crimine
Reddas piorum cœtui.
O confitentem peßimum,
Hominemq; peruerſißimum!
An vero adhuc tecum ambigis,
Num fœda perpetraueris,
Sceleſte nequam, crimina?
Quem tanta lerna criminum
Contaminauit turpium,
Et ſordidatum peßima
Contagione perdidit.
Iuſtus dietim ſepties
Delinquit, at tu furcifer
Quot per diem piacula
Committis atrocißima?
Quæ qui notare geſtiat,
Notare ſtellas audeat.
Si confiteri crimina
Vereris, heus cur talia
Auſus patrare ſæpius
Non erubeſcis perfido?
Cauere fumum qui cupis,
Flammam caue vel ſupprime:
Eſt flamma fumo proxima.

NOTÆ.

NOTÆ.

DE vſu & neceſſitate confeſſionum elegans eſt Epigramma Iacobi Billii in Anthol. ſacra, quod adſcribere libet:

Cum quædam immodicum fundit pars ægra cruorem
Vt medeare malo; vena ſecanda tibi eſt.
Sic tibi cum celerem minitantur crimina mortem,
Numinis inq; tuum iam cadit ira caput:
Te ferias, tuaq; in te ipſum deſæuiat ira:
Sic etenim magni concidet ira Dei.
Nam ſeſe excuſat, quicunq; accuſat: inultum
Et ſinit hunc, qui ſe non ſinit, eſſe Deus.

Ouid. Metamorph. lib. 10. fab. 9.

Numen confeſſis aliquod patet.

Iſidorus lib. 1. cap. 12. *Confeſſio,* inquit, *ſanat, confeſſio iuſtificat, confeſſio peccatis veniam donat. Omnis ſpes in confeſſione conſiſtit. In confeſſione locus miſericordiæ eſt. Nulla tam grauis eſt culpa, quæ per confeſſionem non habeat veniam.*

Seneca lib. de moribus: *Vbi eſt confeſſio, ibi remiſſio.* Idem ad Luc. epiſt. 28. *Initium eſt ſalutis, notitia peccati. Nam qui peccare ſe neſcit, corrigi non vult. Ideo quantum potes, te ipſum coargue, inquire in te, accuſatoris primum partibus fungere, deinde iudicis, nouiſſime deprecatoris.*

Origenes: *Sicut ii, qui habent intus inclusam escam indigeſtam, aut humoris vel phlegmatis ſtomacho grauiter & moleſte imminentia, ſi vomuerint, releuantur: ita etiam hi, qui peccauerunt, ſiquidem occultant & retinent intra ſe peccatum, intrinſecus vrgentur, & propemodum ſuffocantur à phlegmate, vel humore peccati: ſi autem ipſe ſui accuſator fiat, dum accuſat ſemetipſum & confitetur, ſimul euomit & delictum, atq; omnem morbi digerit cauſam.* In Pſalm. 37. hom. 2.

ODA XXXIII.

In perditos & deſperabundos homines.

NVCLEVS.

Deſperatio certa mors eſt. [*Ambroſ. ſuper Luc. lib. 2.*]

Qvi dæmoni ſe deuouet,
Inpropriumq; mancipat
Velut iſtius peculium,
Si ſors ſiniſtra forſitan
Affligat aut ærumnula,
Nebulone quouis nequior
Ille eſt, & arctis nexibus
Cauda ligatus inferi
Videtur eſſe Cerberi.

Si pau-

Caudæ hic Diaboli inſidet.



Si paululum infortuniis
Inceſſitur, mox perditus
Deſperat, & turpiſſimas
Ore euomit blaſphemias,
Deumq́ multis queſtibus
Iniuriarum poſtulat,
Quod immerentem talibus

Se proſequatur ictibus,
Cum tam pius ſit hactenus,
Vitamq́ degat optimam.
Quod ſi preces non illico
Illius exaudit Deus,
Moramq́ paruam interiicit,
Spe priuus omni, peßimo
Longeq́ crudeliſsimo
Seſe enecat ſuſpendio,
Cultroue fauces diſſecat,
Vel in fluentem deſilit.
Eiuſmodi ſicarius
Propriiq́ latro corporis
Indignus eſt, nebulonibus
Quem conferas prioribus,
Sed illigatus fœtidæ
Plutonis atri caudulæ
Pronoq́ præceps impetu
Ad nigra fertur tartara.

NOTÆ.

Deſperatio quãtum ſit peccatum.

DEſperatio vltimum eſt vitiorum, tamq; atrox ac grande, vt hominem, ea expugnatum, ipſis Diabolis ſimilem faciat. Illa eſt, cui nullum remedium, nulla medela, nulla ſalus poteſt adhiberi. Eſt quidem nobis quamdiu lucis huius vſura fruimur, pœnitẽtiæ ac ſalutis ianua nunquam occluſa, cum gratiæ & bonitatis diuinæ porta omnibus ſerio

ſerio reſipiſcentibus peccatoribus pateat. At vbi deſperatio iſtam occluſerit, tũc omnino de nobis noſtraque ſalute eſt actum. Quemadmodum enim iactantia & præſumtio propriorum meritorum hominem facilime euertit, ita è contra deſperatio eundem non modo prorſus peſſumdat, verum etiam recta ad Orcum dat præcipitem. Vnde Auguſtinus lib. de Symbolo: *Latro*, inquit, *agnouit, & Petrus negauit. Caueat ergo bonus, ne præſumat per ſuperbiam, malus vero ne deſperet per malitiam.* Vt paucis dicam, deſperatio eſt omnimoda animæ euerſio, & ad mortem ęternam ſine vlla gratiæ ſpe deductio, quia qui ſemel deſperatus fuerit, ad ſalutem amplius non redibit, iuxta illud Prophetæ: *Deſperaui nequaquam faciam.* Ier. 2. Atque eiuſmodi deſperabundi oppido mihi videntur ſimiles eſſe rhinoceroti, qui viuus nunquã aut vix certe capi poteſt. Statim n. vbi captum ſeſe videt, præ indignatione mortem ſibiipſi ſpõtaneam infert: Sic iſti etiam, poſtquam retibus Diaboli, i. e. peccatis ſeſe implicatos atque inuolutos vident, malo hoc non contenti vltro etiam in deſperationis barathrum, nulla pœnitentiæ ratione habita, ſeſe iaciunt præcipites, illudq; eiuſdem Prophetæ crepant: *Deſperauimus, poſt cogitationes noſtras ibimus.* Hier. 18. Et iſtud quidem ſummum eſt periculum, quando ille, qui bonum ſe fieri poſſe deſperat, non eo adlaborat, vt

bonus fiat, quia, vt ait Seneca lib. de morib. *Nunquam ſe mutat, qui ſe poſſe mutari deſperat.* De Taxo naturalium hiſtoriarum ſcriptores referunt, quod cauda ſua villoſa cauernæ ſuæ foramina vndiquaque, modo contra Auſtralem, modo contra Aquilonarem flatum, ne qua perrumpere poſſit, obſtruat. Idem profecto faciunt deſperati. Nam hi cordis ſui cauernas per deſperationem, non ſolum contra Auſtralem flatum, hoc eſt, contra prædicationem verbi diuini, ſed etiam contra Aquilonarem, hoc eſt, contra ærumnas & perſecutiones adeo obſtruere ſolent, vt neutrum iſtorum vnquam admittant, ſed velut furioſi ac inſani in propriam proni ruant perniciem. Supplicibus igitur Deus eſt ſolicitandus precibus, vt periculoſiſſimum iſtud deſperationis peccatum procul à nobis amoueat, &, ſicubi peccauerimus (peccamus autem innumerabiliter) gratia nobis ſua benignus adſit, vt ſeria admiſſorum ſcelerum pœnitentia ducti vitam deinde emendemus, nec vnquam deſperationis violentia victi ſuccumbamus, quæ reuera ſecundum illud vulgatum, gehennæ eſt initium & diuinæ gratiæ

FINIS.

EPI-

EPILOGVS.

Parodia ad Oden 3.lib.4.Carm. Horatii.

Quem tu Melpomene ſemel,&c.

QVem fax nequitiæ ſemel
Viuentem reprobo lumine viderit,
Illum non labor Iſthmius
Frugi reſtituet: non equus impiger
Curru magnifico feret
Victorem; neq; res publica honoribus
Ornatum variis virum,
Quod nequam tumidas contuderit minas,
Oſtendet procerum choro:
Sed, quas MOENVS *aquas gurgite proluit,*
Vel certe arboreæ trabes
Reddent aridulo ſtipite penſilem.
Noſtri CÆSARIS *inclyta*
Dignata eſt bonitas inter amabiles
Vatum ponere me choros:
Et iam dente magis mordeor inuido.
Verum ô furcifer improbe,
Vaſtos qui ſtrepitus turpiter excitas,
Te prædam fore piſcium,
Coruorumue, volo, ſi lubeat magis.
Totum muneris hoc tui eſt,
Quod monſtror digito prætereuntium
Conatus fidicen tui:
Quod ſcribo, & placeo, ſi placeo, tuum eſt.

Corpus [illegible] in quo
includitur a libro de [illegible]
[illegible]
In vet. edif. Legis R.
Sic. ins. hanc invenies
Hic natz e Vol. [illegible]
[illegible] de diis, [illegible]
omnes Galli [illegible] Sicilia
[illegible] fere 8 millia [illegible]
uno excepto Porcelletto no=
bili Provinciali. XXX d.
m. Martii A. MCCLXXXII
D vesp. [illegible]
[illegible] Dominica. Hist. Corr. N 147
1750 et Neapoli
Hist. N 199 [illegible]
[illegible]
Et Hildesh. Anecdot
[illegible] Abb. Lud. de [illegible]
[illegible]
Abl. 3 [illegible]

Ne sutor ultra crepidam
[illegible] alii fabula [illegible]
[illegible] 34 C. [illegible]
Quod hoc in [illegible] VIII
Odei sub [illegible] contenti
[illegible] apud An.
199
[illegible] in Tolo [illegible]
Tractat. ראש השנה
Sirachi [illegible]

V [illegible] Bulla [illegible]
[illegible] synecd. [illegible]
Clypeo
Clypeus [illegible]
[illegible]
Ad Sentent. Σκυτος est [illegible]
[illegible]
[illegible]
JANUARIUS
[illegible]
[illegible]

1 7 lot @ [illegible]